

DE APOSTOLATU LAICORUM

SUMMARIUM. — Studium hoc duabus constat partibus, quarum prior quasdam tradit notiones generales, altera tractat de apostolatu laicorum in specie. In prooemio primae partis hodiernae exponuntur conditiones quae majorem activitatem apostolicam a laicis expostulant, historia apostolatus laicorum in pri-maeva Ecclesia delineatur et circumstantiae indicantur quae aliquali diminutioni hujus activitatis ansam dederunt; sequuntur duo articuli quibus hinc quidem tractatur de notione laici deque ejus positione in Ecclesia atque fundamento dogmaticis ejus activitatis, inde vero agitur de apostolatu Ecclesiae in genere deque ejus natura, ambitu diversisque formis. In parte secunda primum sermo fit de activitate laicorum ex delegatione hierarchiae; dein de Actione Catholica utpote de apostolatu laicorum officiali et organizato, indicatis etiam novis modificationibus a Summo Pontifice nuper propositis; tandem de «actione catholicorum» in ordine spirituali et temporali, qua occasione examini subjicitur nodosa illa quaestio de natura valorum temporalium.

I

CONSPECTUS GENERALIS

A. Hora laicorum

«Nunc est tempus, dilecti filii!» aiebat Pius XII populum romanum exhortans, «est tempus perficiendi ulteriores passus definitivos; est tempus discutiendi funestum lethargum; tempus est ut omnes boni homines, omnes qui sunt solliciti de sorte mundi, uniantur et in aciem se mittant; est tempus repetendi cum Apostolo: *hora est jam nos de somno surgere*, quia proxima est nunc nostra salus. Totus mundus a fundamentis instaurandus est, transformandus e barbaro in humanum, ex humano in divinum, id est, secundum cor Dei».¹

¹ «Ed ora è tempo, diletti figli! È tempo di compiere gli altri definitivi passi; è tempo di scuotere il funesto letargo; è tempo che tutti i buoni, tutti i solleciti dei destini del mondo, si riconoscano e serrino le loro file; è tempo di ripetere con l'Apostolo: 'Hora est jam nos de sonno surgere' (Rom 13, 11): è ora che ci svegliamo dal sonno, poichè vicino è adesso la nostra salvezza. È tutto un mondo, che occorre rifare dalle fondamenta, che bisogna trasformare da selvatico in umano, da umano in divino, vale a dire secondo il cuore

Exhortationes hujus generis crebrae inveniuntur in documentis recentiorum Summorum Pontificum. Imo Pius XI cuidam laico insigni dicebat totam spem Ecclesiae sitam esse in laicis sanctis.² Et ex parte laicorum, ubique videre est mirabilis renovatio zeli apostolici : evidens signum operationis Spiritus Sancti in Ecclesia. Apostolatus laicorum non est quid novum in Ecclesia, sed hodierna intensificatio ejus est certe quid insolitum; nunquam enim post priora saecula hoc phaenomenon tam universaliter se manifestavit.

Sed hujusmodi extraordinariae manifestationes Spiritus correspondent peculiaribus exigentiis temporum. Apostolatus laicorum, semper quidem necessarius, omnino indispensabilis evadit quando societas humana ita abalienata est ab Ecclesia ut apostolatus Hierarchiae parum eam penetrare valeat. Talis fuit conditio mundi pagani in primis saeculis Ecclesiae; talis est conditio societatis modernae post revolutiones religiosam, intellectualem, industrialem et politicam trium ultimorum saeculorum. Laici fideles, utpote pleno jure cives utriusque regni, coelestis et terrestris, inter utrumque nexum constituere debent, per quos, tamquam per venas capillares, influxus spiritualis Ecclesiae totum corpus humanae societatis penetrare valeat. « Sub hoc respectu, Venerabiles Fratres, fideles, adhuc praecisius, laici, stant in prima linea vitae Ecclesiae », dicebat Pius XII in allocutione ad Cardinales diei 20 nov. 1946; « illis Ecclesia est principium vitale societatis humanae. Ideo ipsi, ipsi praesertim, debent habere claram conscientiam non solum se pertinere ad Ecclesiam, sed esse Ecclesiam, id est, communitatem fidelium super terram sub ductu communis Capitis, Papae, et Episcoporum in communione cum eo ».³

Alia ratio quae apostolatum laicorum adhuc urgentiorem hodie reddit est insufficiens numerus sacerdotum ad ipsa munia pure sacerdotalia obeunda, et penuria vocationum ad sacerdotium. Jam in sua prima Encyclica *Summi Pontificatus* Pius XII hanc penuriam conquerebatur his verbis : « Quandoquidem, proh dolor, sacerdotes hodie numero pauciores sunt quam eorum munera expetunt, et in nostram quoque aetatem haec divini Salvatoris sententia convenit : *messis quidem multa, operarii autem pauci*, consociata illa laicorum hominum navitas, ecclesiasticae hierarchiae praestita, quae sit cotidie increbescens ac nobili-

di Dio (Alloc. 10/2/1952; *Discorsi e Radiomessaggi*, t. 13, Tip. Poliglotta Vaticana 1952, pp. 470-471; cf. Alloc. ad paroecianos S. Sabae, 11/1/1953, *ibid.*, t. 14, 1953, p. 453).

² J. M. PERRIN, *L'heure des laics*, Paris 1954, in proemio.

³ AAS [= Acta Apostolicae Sedis], 38 (1946), p. 149.

ardentique devovendi studio animata, auxiliares opes sacrorum administris praebet praetiosissimas, atque ejusmodi profectus spondet, qui optime sperare jubeant. Preces ab Ecclesia admotae ad Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, ea ratione admissae videntur, qua peculiares temporum necessitates postulant; ita scilicet ut sacerdotum opera, impar saepenumero ac praepedita, feliciter substituatur atque compleatur ».⁴

Redeundum igitur est ad fervorem apostolicum primorum christianorum qui sua generosa collaboratione meruerunt esse veri adjutores Christi Domini et Apostolorum. Collaboratio laicorum in missione Domini satis ex Evangelii patet. Illi « septuaginta duo » quos designavit Dominus ad praedicandum in omni loco quo erat ipse venturus,⁵ non fuerunt sacerdotes nec probabilius ad sacerdotium vocati: possunt dici primi apostoli laici. Et plurimae nominantur mulieres vere adjutrices Christi, quae sequebantur eum et ministrabant ei,⁶ praesertim vero mulier Samaritana quae statim post suam conversionem totam suam civitatem ad Dominum adduxit.⁷ Sed et multi quos sanavit Jesus vel liberavit a daemoniis facti sunt praedicatori ejus, ut pluries notant Evangelistae.⁸ Casus caeci nati demonstrat quam strenui defensores Jesu aliqui eorum evaserint.⁹ Nonne fuerunt sanctae mulieres ad monumentum vigilantes primae nunciae ab ipso Jesu missae ad anunciantum Resurrectionem ejus ipsis Apostolis adhuc dubitantibus?

Et ipsi Apostoli secuti sunt exemplum Magistri in aggregandis fidelibus ad cooperandum in munere apostolico exequendo. In Actibus legimus de Apollo qui coepit praedicare etiam antequam ipse baptizaretur, et de Priscilla et Aquila qui instruxerunt illum.¹⁰ S. Paulus in Epistolis suis sat plurimorum collaboratorum mentionem facit (vide e. g. commendationes et salutationes ad finem Epist. *ad Rom.*). Cooperatio hujusmodi laicorum quantae utilitatis fuerit demonstrat Apostolus in

⁴ *AAS*, 31 (1939), p. 443. Cf. PIUS XI, *Epist. « Laetus sane nuntius »*, 6/11/1929 : De conventu nationali Actionis Catholicae provehendae (*AAS*, 21 [1929], p. 668) : « Pernecesse igitur est nostra hac aetate omnes esse apostolos; pernecesse est non desidem vitam degere laicos homines, sed ad ecclesiasticae hierarchiae nutum praesto esse, eidemque ita navare operam, ut precando, se devovendo, actuoseque allaborando, ad catholicae fidei incrementum christianamque morum emanationem magnopere conferant ».

⁵ *Lc* 10, 1.

⁶ *Lc* 8, 1-3.

⁷ *Jo* 4, 28-30.

⁸ *Mc* 1, 45; *Mt* 9, 30-31.

⁹ *Jo* 9, 17. 25-34.

¹⁰ *Act* 18, 24-26.

fine sueae Epistolae ad Corinthios dicens : « Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanae et Fortunati et Achaici : quoniam sunt primiciae Achaiae, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos : ut et vos subditi sitis ejusmodi, in omni cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in praesentia Stephanae et Fortunati et Achaici : quoniam id quod vobis deerat ipsi supplererunt : refecerunt enim et meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt ».¹¹

Apostolatus hujusmodi ipse Dominus efficaciorem reddidit concessis charismatibus quae in initio Ecclesiae uberior effundebantur uti ex *Actibus* constat. Et persecutiones intensitatem simul et ambitum apostolatus laicorum adauxerunt : « Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei ».¹² Hic zelus apostolicus fidelium multum ad incrementum Ecclesiae contulit in saeculis immediate subsequentibus tempora Apostolorum. Scripsit Pius XII in *Evangelii p[re]cones* : « Parique modo omnibus exploratum est christianam doctrinam non solum ab Episcopis ac sacerdotibus, sed a magistratibus quoque, a militibus, a primatisque civibus per consulares vias propagatam fuisse. Christifideles ad milia bene multa, a catholica suscepta fide recentes, quorum hodie nomina ignorantur, cum studio novae provehendae religionis, quam amplexi erant, vehementissime flagrarent, evangelicae veritati iter sternere enisi sunt; quamobrem post centum circiter annos christianum nomen christianaque virtus jam ad principes omnes Romani Imperii urbes pervenerant ».¹³

Sed progrediente Aetate Media, varias ob causas, zelus apostolicus laicorum minor evasit. De hac decadentia, Mgr. Gerard Philips haec habet : Multo jam tempore sensus religiosus Aetatis Mediae ibat decrescendo. Videbatur quidem integer externe, sed intus jam ignorantia et conformismus eum invaserant. Deposcebatur undique reformatio ‘in capite et in membris’, sed in cassum. Sola rebellio Lutheri compulit auctoritates ut serio reformationi manum mitterent; et quando tandem venit contra-Reformatio, tardior fuit quam ut sufficeret ad majorem partem Europeae Christianae salvandam.¹⁴ Hujus apathiae laicorum plures fuere causae.

¹¹ *I Cor* 16, 15-18.

¹² *Act* 8, 4.

¹³ *AAS*, 43 (1953), p. 511.

¹⁴ « Depuis longtemps le sens religieux du moyen âge s'était affaibli, Il s'étais encore en surface, mais, au fond, il était miné par l'ignorance et le conformisme. L'appel à la réforme *in capite et in membris*, des chefs et des membres, retentit en vain. Il fallut la révolte de Luther pour qu'on le prît au sérieux. Quand la contre-réforme s'ébaucha, il était, hélas ! trop tard pour une grande partie de l'Europe chrétienne » (*Le rôle du laïcat dans l'Eglise*, Paris/Tournai 1954, p. 7).

« *Ideale* » *Monasticum*, quod in scriptis illius temporis frequenter praesentabatur ut vera christianae vitae norma, quemdam sensum inferioritatis laicis incussit. Status enim laicus videbatur quaedam concessio fragilitati humanae facta, proindeque parum aptus ad activitates apostolicas. Decretum Gratiani haec verba Hieronymi sua facit : « Duo sunt genera christianorum. Est autem genus unum, quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici, et Deo devoti, videlicet conversi. Kleros enim grecce, latine sors. Inde hujusmodi homines vocantur clerici, id est sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt reges, id est, se et alios regentes in virtutibus, et ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite [...] Aliud vero est genus christianorum ut sunt laici. Laos enim est populus. His licet temporalia possidere, sed non nisi ad usum. Nihil enim miserius est quam propter nummum Deum contemnere. His concessum est uxorem ducere, terram colere, inter virum et virum judicare, causas agere, oblationes super altaria ponere, decimas reddere, et ita salvari poterunt, si vitia tamen beneficiendo evitaverint ».¹⁵ Urbanus II in Bulla ad Praemonstratenses, kalendis febr. 1090 data, scribebat : « Duo enim ab Ecclesiae sanctae primordiis vitae ejus filiis sunt instituta : una qua infirorum debilitas retinetur, altera qua fortiorum vita beata perficitur ; una remanens in Segor parvula, altera ad montis altiora condescendens ; una lacrymis et eleemosynis quotidiana peccata redimens, altera quotidiana instantia merita aeterna conquirens ; alteram tenentes inferiorem, terrenis bonis utuntur ; alteram sequentes superiorem, bona terrena despiciunt ac relinquunt. Haec autem quae a terrenis divino favore divertitur in duas unius pene ejusdem propositi dividuntur portiones, canonicorum scilicet atque monachorum ».¹⁶ Paulo post, anno 1093, idem Pontifex, Institutum Canonicorum S. Pauli Narbonensis confirmans, eadem verba repetit.¹⁷ Haec utique vera sunt, sed horum similiusque occasione exorta fuit in aliquorum mentibus opinio iuxta quam laicorum est aegre suas salvare animas, non vero ad altiora contendere.

Unio Status et Ecclesiae, in unam rempublicam christianam vel regnum Christi, quandiu perduravit integra, religioni multa bona attulit. Concipiebantur Status et Ecclesia ut duo corpora sub uno capite Christo, vel duo latera ejusdem corporis Christi. Sed hic conceptus

¹⁵ C. 7, C. XII, Q. 1 (FRIEDBERG, I, 678).

¹⁶ *Epistolae et privilegia*, 58 (PL [Garnier], 151, 338 C.).

¹⁷ Loc. cit., 79 (*ibid.*, 360 BC).

unionis secum attulit etiam necessitatem clarioris distinctionis facienda inter munera utriusque, eo magis quod Potestates temporales facilime se ingerebant rebus ecclesiasticis. Scripsit card. Humbertus : « ... sicut clerici saecularia negotia, sic et laici ecclesiastica praesumere prohibentur [...] laici sua tantum, id est saecularia, clerici autem sua tantum, id est ecclesiastica negotia, disponant et provideant ».¹⁸ In pluribus imaginibus depictis illius temporis Regnum Christi repraesentatur ut constans duabus turmis : ex una parte Papa cum Episcopis et clericis, ex altera Imperator cum principibus et laicis viris et feminis. Hujusmodi divisio inter clericos et laicos, inter negotia ecclesiastica et negotia saecularia, bene intelligebatur quandiu tota societas erat unita sub Ecclesia. Sed quando circa initium aetatis modernae Status civilis in multis regnis rebellavit contra Ecclesiam et penitus discessit ab ea, positio laicatus catholici omnino difficilis et delicata evasit — ex una parte implicatus activitatibus societatis civilis destitutae vitae illius unionis cum Ecclesia quam olim habebat; ex altera non satis assuetus activitatibus ipsius Ecclesiae.

Eccesiologia, ut pars specialis Theologiae, est recentioris originis, provocata praesertim erroribus Lutheri et Calvini; proindeque fere tota ntititur in defendenda forma Institutional Ecclesiae, scilicet Hierarchia. Haec unilateralitas praesentationis Ecclesiae fuit quidem naturalis in illis adjunctis, at in aestu controversiae aliqui auctores terminis aliquando sat exaggeratis usi sunt. Hoc ansam dedit inimicis Ecclesiae accusandi eam de clericalismo, et quibusdam catholicis ipsis credendi laicos parum vel nihil activitatis in Ecclesia habere. Sic Bismarck, Ecclesiam Catholicam cum ea Protestantica conferens, scribebat eas omnino diversis basibus fulciri : illam, scilicet Catholicam Ecclesiam, posse integre existere et finem consequi per suos cleros solos; eam posse subsistere sine communitate; Missam posse caelebrari sine communitate; communitatem quidem esse utile objectum activitatis hierarchiae sed nullatenus necessariam existentiae Ecclesiae. E contra apud Ecclesiam Protestantam, ait, in communitate sola invenitur fundamentum totius Ecclesiae; nullus cultus potest concipi sine illa; tota constitutio Protestantiae Ecclesiae innititur communitate.¹⁹

Pius XII, Primum Congressum Internationalem Apostolatus Laicorum alloquens, strenue se opponit hujusmodi injustae generalizationi,

¹⁸ *Adversus simoniacos*, III, 9 (PL [Garnier], 143, 1153).

¹⁹ *Die politischen Reden des Fürsten Bismarck*, ed. Horst Kohl, t. XII, Stuttgart 1894, p. 376.

et demonstrat quomodo, non obstantibus circumstantiis adversis, *Spiritus Sanctus semper suscitaverit in Ecclesia veros apostolos laicos.*²⁰ Et Socios Actionis Operiariorum Christianorum Belgarum, die 11 sept. 1949 in audiencia receptos, exhortabatur dicens conversationem eorum debere esse splendidam refutationem calumniarum adversariorum qui accusant Ecclesiam ac si ipsa invidiose detinuissest laicos ab omni activitate personali, et negasset illis laborem proprium in suo campo.²¹

B. "Laicus"

Laos graece, unde nomen laici derivatum est, significat *populum*, et in V. T. frequenter usurpatur ad designandum 'Populum Dei'. In versione Septuaginta praesertim terminus iste hunc sensum exclusive religiosum retinet. In Novo Testamento aliquando invenitur terminus 'laós' adhibitus ad significandam mere plebem vel turbam; sed sensus stricte religiosus significans 'populum Dei' vel 'populum electum' brevi praevaluit, ut videre est in scriptis Apostolorum : « Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus popu-

²⁰ On se plaît souvent à dire que, durant les quatre derniers siècles, l'Eglise a été exclusivement « cléricale », par réaction contre la crise, qui au seizième siècle, avait prétendu parvenir à l'abolition pure et simple de la hiérarchie et là-dessus, on insinue qu'il est temps pour elle d'élargir ses cadres.

Pareil jugement est tellement loin de la réalité que c'est précisément depuis le saint Concile de Trente que le laïcat a pris rang et a progressé dans l'activité apostolique. La chose est facile à constater ; il suffit de se souvenir de deux faits historiques patents entre bien d'autres : les Congrégations mariales d'hommes exerçant activement l'apostolat des laïques dans tous les domaines de la vie publique, l'introduction progressive de la femme dans l'apostolat moderne. Et il convient, sur ce point, de rappeler deux grandes figures de l'histoire catholique : l'une, celle de Marie Ward, cette femme incomparable que, aux heures les plus sombres et les plus sanglantes, l'Angleterre catholique donna à l'Eglise ; l'autre, celle de saint Vincent de Paul, incontestablement au premier plan parmi les fondateurs et les promoteurs des œuvres de la charité catholique.

Il ne faudrait pas non plus laisser passer inaperçue, ni sans en reconnaître la bienfaisante influence, l'étroite union qui, jusqu'à la révolution française, mettait en relations mutuelles, dans le monde catholique, les deux autorités établies par Dieu : l'Eglise et l'Etat. L'intimité de leurs rapports sur le terrain commun de la vie publique créait — en général — comme une atmosphère d'esprit chrétien, qui dispensait en bonne part du travail délicat auquel doivent aujourd'hui s'atteler les prêtres et les laïques pour procurer la sauvegarde et la valeur pratique de la foi » (*Allocutio iis qui Romae adfuerunt Conventui universalis de catholicis Laicorum Apostolatu*, 14/10/1951 ; *AAS*, 43 [1951], pp. 784-785).

²¹ « Votre conduite doit être une éclatante réponse aux calomnies des adversaires, qui accusent l'Eglise de tenir jalousement en laisse les laïques, sans leur permettre aucune activité personnelle, sans leur assigner une tâche propre dans son domaine. Telle n'est point, telle n'a jamais été son attitude » (*AAS*, 41 [1949], pp. 549-550).

lum (laós) nomini suo »,²² « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, *populus* (laós) acquisitionis... Qui aliquando non *populus* (laós), nunc autem *populus* (laós) Dei : qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti ».²³ Hic *laos* clare opponitur *gentibus*. Laos ergo significat, secundum usum Apostolorum, populum electum seu christifideles qui et vocabantur fratres, sancti, christiani etc.

Post tempora Apostolorum terminus ‘laos’ majorem praecisationem accepit. Fuit necessarium non solum distinguere christifideles a gentibus, sed inter ipsos christianos discernere sacerdotes inter et non-sacerdotes. Hinc invaluit usus termini « *laicus* » (ex forma adjectiva graeca, *laicos*) ad designandum populum christianum ut distinctum a clero. In scriptis S. Clementis Romani primum apparet haec distinctio. Laicus ergo hic distinguitur a clero.

Sed circa medietatem tertii saeculi apparuit et alia categoria fidelium ad ulterius complicandam terminologiam : scilicet, monachus. Sed monachus debet esse aut clericus aut laicus; unde distinctio in tres classes non est adaequata. Decursu vero temporis, tum propter monachorum dedicationem ad cultum, tum clericorum majorem in dies assimilationem monachis ratione coelibatus etc., utriusque hi status simul accipi contigunt et opponi statui laicali.

Interea terminus « *laicus* » suum pristinum sensum religiosum et connotationem sanctitatis paulatim perdidit, donec acquireret quemdam sensum « profani ». In antiqua versione latina S. Scripturae legimus de « *laicis panibus* » ut distinctis a panibus propositionis.²⁴ Sed mundus modernus adhuc depravavit hunc terminum. In ore quorundam politorum et sociologorum ‘ *laicus* ’, ‘ *laicalis* ’, ‘ *laicismus* ’ significant non solum quid profanum vel saeculare, sed positive anti-religiousum.

Definitio Laici

Codex Juris Canonici dum definit clericum, non explicite definit laicum. Parce adhibet terminum « *laicus* », praefert in genere verba ‘ *fideles* ’ vel ‘ *christifideles* ’. Can. 107 dicit : « Ex divina institutione sunt in Ecclesia *clericci* et *laici*, licet non omnes clericci sint divinae institutio-

²² *Act* 15, 14.

²³ *I Pet* 2, 9-10.

²⁴ *I Sam* 21, 4.

nis; utriusque autem possunt esse *religiosi* ». Pars tertia Libri secundi agit de Saecularibus, et incipit cum can. 682, qui sic sonat : « Laici jus habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adjumenta ad salutem necessaria ». Deinceps loquitur de Associationibus fidelium, et quasi semper utitur termino « *fideles* ».

Proprie loquendo, laicus debet definiri simpliciter ut christifidelis, id est, « homo viator, baptizatus et in visibilem Ecclesiam aggregatus »; haec enim est ejus constitutivum positivum. Sunt autem clerici et religiosi qui indigent ampliori specificatione. In praxi vero terminus « laicus » accipitur in sensu exclusivo, in contradistinctione scilicet a clero et religioso, proindeque definitur modo negativo, indicando potius quid non sit quam quid sit. Sub hoc respectu laici possunt dici « illi christifideles qui ex una parte non sunt ordinati vel saltem per tonsuram destinati ad ministerium sacrum, et ex altera non sunt obligati per vota pubblica ad omnimodam renunciationem mundi ». Quamquam totum hoc negativum sonat, est aliquid positivi hic subintellectum, nempe, eorum relatio cum mundo. Laici enim non fugiunt mundum ut religiosi, nec praepediuntur a cura rerum temporalium sicut clerici, sed vitam suam ducunt plene in mundo, nexus necessarium constituentes inter ordinem spiritualem et ordinem temporalem. Quo sensu definitus, laicus est *ille christifidelis cuius est, vitam christianam plene in medio mundi duendo, mundum materialem et ordinem temporalem Christo lucrifacere*. Est hic conceptus positivus laicatus qui nostra hac aetate clarius in dies emergit in lucem, et inspiratio existit multifarii apostolatus moderni.

Quid de Institutis Saecularibus?

Categoria religiosorum, ut superius indicavimus, quamdam confusio-
nem induxit in divisione fidelium in clericos et laicos, quia religiosi
possunt esse sive clerici sive laici. Divisio in clericos et laicos pertinet
ad structuram essentialem visibilis Ecclesiae; status vero perfectionis
pertinet potius ad vitam Ecclesiae cujus auctoritate constituitur in institu-
tionem juridicam in Ecclesia. Aliis verbis status perfectionis est a
Christo, juridica institutio ad hunc statum plene et secure proseguendu-
m est ab Ecclesia. « Dum alii duo canonicarum personarum ordines,
scilicet clericorum et laicorum, divino jure, cui ecclesiastica adjungitur
institutio, ex Ecclesia petuntur, quatenus ipsa est societas hierarchice
constituta et ordinata; haec media, inter clericos et laicos, religiosorum
classis, quae utrisque clericis et laicis communis esse potest, ex arcta

peculiarique relatione ad Ecclesiae finem, sanctificationem nempe, efficiaciter, rationibusque adaequatis prosequendum, tota desumitur ».²⁵ Sed ut jam vidimus, religiosi, etiam non-clerici, potius assimilantur clericis quam laicis, propter eorum separationem a mundo et activitates maxime spirituales, gaudent quibusdam privilegiis clericorum et facilius depitantur ad activitates proprie clericales. Satis ergo distinguuntur a laicis proprie dictis.

Sed nuper introducta Instituta Saecularia difficultatem adauxerunt classificationis fidelium. Sicut de religiosis quaeri licet utrum sint clerici vel laici, sic de membris horum Institutorum oritur dubium : suntne religiosi vel laici ? Oportet igitur hanc quaestionem clarificare ut melius determinetur « laicus » de quo hic agimus.

Instituta Saecularia, sicut Religiones, comprehendunt utrumque statum, clericorum et laicorum : « Societas, clericale vel laicale, quorum membra christiana perfectionis acquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, ut ab aliis fidelium communibus Associationibus apte distinguantur, Institutorum seu Institutorum Saecularium nomine veniunt ».²⁶ Sed ex sequentibus constabit Instituta haec principaliter esse pro laicus intenta.

Additur qualificatio « saeculare » ad distinguenda membra Instituti a « regularibus » seu religiosis sensu canonico sumptis. Ad conceptum juridicum « religiosi » essentialia sunt *vota publica* et *vitae forma* regulis vel constitutionibus determinata. In Institutis vero vota sunt privata, et modus vitae ab adjunctis locorum et personarum, et necessitatibus apostolatus dependet, praeter ea quae omnino indispensabilia sunt ad evangelicam perfectionem. Haec nota saecularitatis est essentialis ad conceptum juridicum Instituti : « In hac Societate fidelium ad superiorem Institutorum Saecularium formam elevatione, atque in omnium Institutorum, sive generali sive etiam singulari ordinatione perficienda, illud prae oculis semper habendum est, quod proprius ac peculiaris Institutorum caracter, *saecularis* scilicet, in quo ipsorum existentiae tota ratio consistit, in omnibus elucere debet. Nihil ex plena christiana perfectionis professione, evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa, detrahendum erit, sed perfectio est *in saeculo* exercenda et profitenda; ac proinde, cum vita saeculari in omnibus, quae licita sunt et quae cum ejusdem perfectionis officiis et operibus componi

²⁵ *Const. apost. « Provida Mater Ecclesia »*, 2/2/1947 (*AAS*, 39 [1947], p. 116).

²⁶ *Ibid.*, p. 120.

valent, accommodetur oportet ».²⁷ Item S. C. de Religiosis, die 19 martii, 1948, vitanda judicavit ea omnia « quae Institutorum Saecularium naturae ac rationi non essent consentanea, uti, e. g., habitus qui non respondeat saeculari conditioni, vita communis ad modum vitae communis religiosae vel huic aequiparatae externe ordinata ».²⁸

Finis hujusmodi 'saecularitatis' hic est : « Ad vitam perfectionis semper et ubique ducendam; ad ipsam etiam in pluribus casibus amplectendum in quibus vita religiosa canonica possibilis vel conveniens non erat; ad impensam familiarum, professionum ac civilis societatis christianam renovationem per contactum intrinsecum et quotidianum cum vita perfecta et omnino sanctificationi consecrata; ad multiformem apostolatum et ad ministeria exercenda locis, temporibus et rerum adjunctis sacerdotibus religiosisque vetitis, vel imperviis, haec Instituta adhiberi vel converti facile possunt ».²⁹ Hic clarius appareat quomodo Instituta haec proprie laicis sunt accommodata. In suo apostolatu, membra sunt plene et proprie laici. « Hic apostolatus Institutorum Saecularium non tantum *in saeculo*, sed velut *ex saeculo*, ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adjunctis saeculari huic conditioni respondentibus, exercendus est fideliter ».³⁰

Verumtamen, status eorum non est stricte loquendo laicus. Est vere status perfectionis, nempe observantiae consiliorum evangelicorum, ad quam membra obligantur votis. Duo fines Institutorum, aequo principali, his verbis indicat Const. apost. *Provida Mater Ecclesia* « christiana perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa ».³¹ Observantia consiliorum est ad perfectionem acquirendam, vitae forma saecularis ad apostolatum plene exercendum. Sunt ergo *religiosi sensu theologico, laici sensu canonico*; religiosi in vita interna, laici in activitate externa. « Instituta Saecularia, ex statu plena perfectionis quam profitentur, et ex totali apostolatui consecratione, quam imponunt, in hoc eodem genere perfectionis et apostolatus, ad majora evidenter vocantur quam ea quae fidelibus, optimis etiam, in Associationibus mere laicalibus aut in Actione Catholica aliisque piis operibus laborantibus sufficere videntur ».³² « Instituta Saecularia, quorum membra, etsi in saeculo com-

²⁷ *Motu proprio* « *Primo feliciter* », 12/3/1948 (*AAS*, 40 [1948], p. 284).

²⁸ *Instructio de Saecularibus Institutis* (*AAS*, 40 [1948], p. 296).

²⁹ *Const. apost.* « *Provida Mater Ecclesia* », 2/2/1947 (*AAS*, 39 [1947], p. 118).

³⁰ *Motu proprio* « *Primo feliciter* », 12/3/1948 (*AAS*, 40 [1948], p. 285).

³¹ *AAS*, 39 (1947), p. 120.

³² S. C. DE RELIGIOSIS, *Instructio de Institutis Saecularibus*, 19/3/1948 (*AAS*, 40 [1948], p. 296).

morantur, ex plena tamen Deo et animabus consecratione quam, probante Ecclesia, profitentur, et ex interna ordinatione hierarchica interdioecesana et universalis, quam diversis gradibus habere valent, inter status perfectionis iuridice ab Ecclesia ipsa ordinatos et recognitos, ex Apostolica Constitutione *Provida Mater Ecclesia* jure meritoque numerantur ».³³

Hic ergo habemus vitam religiosam ad ambitum saecularem accommodatam. Est motus contrarius illi traditionali quo status religiosus a mundo separatus statui clericali assimilabatur. Differentia inter traditionalem vitam religiosam et novam hanc sic potest exprimi : essentia status perfectionis consistit in plena renunciatione mundi, emissis votis firma et habitualis reddit. In traditionali vita religiosa, huic renunciationi superadditur etiam major vel minor separatio a mundo, ut complementum renunciationis et medium ad eamdem facilius securiusque realizandam. In Institutis vero renunciatio sola imponitur, non fuga mundi. Ex altera parte differunt membra Instituti a meris laicis ratione hujus obligationis plene et actualis renunciationis mundi. Christifideles omnes tenentur quidem ad *potentialem* renunciationem mundi, id est, debent esse parati ad renunciandum cuilibet bono temporali quod saluti animae vel gloriae Dei obstet, non vero tenentur ad actualem renunciationem mundi ut talis.

Ex supradictis patet membra Institutorum non esse in statu laicorum proprie dictorum : sunt in statu perfectionis non secus ac religiosi. Sed quoad eorum modum vitae et apostolatum similes sunt laicis. In praesenti, ergo, tractatu, quidquid de apostolatu laicorum dicitur de eis quoque intelligi valet, excepto ubi contextus contrarium suadet : e. g., si sermo est de apostolatu patrumfamilias.

Positio Laici in Ecclesia

Ad positionem laici in Ecclesia clare delineandam primum oportet ipsius Ecclesiae naturam et constitutionem breviter describere.

1) Ecclesia est Corpus Mysticum Christi, id est, extensio et complementum, ut ita dicamus, Incarnationis. Verbum voluit non solum unam numero naturam humanam hypostaticce sibi unire, sed omnes electos sibi incorporare modo quodam incomprehensibili, sed reali. Unde, in terminologia Augustini, Ecclesia est ipse Christus, totus Christus : « Ergo

³³ *Motu proprio « Primo feliciter »*, 12/3/1948 (*ibid.*, pp. 285-286).

gratulemur et agamus gratias, non solum nos christianos factos esse, sed Christum. Intelligitis, fratres, gratiam Dei super nos capit? Admiramini, gaudete, Christi facti sumus. Si enim caput ille, nos membra; *totus homo*, ille et nos ».³⁴ Et iterum: « Non enim Christus in capite et non in corpore, sed Christus totus in capite et in corpore ».³⁵

In Litt. enc. *Mystici corporis Christi*, 29 junii 1943, Pius XII explicat naturam hujus Corporis Mystici: est quaedam realitas supernaturalis, non mera fictio mentis; differt tamen a corpore physico et corpore morali. In corpore enim physico adest quidem vera et intrinseca unio partium, sed partes non amplius retinent suam individualitatem; e contra in corpore Mysticō, non obstante vera et intima unione partium ad unum constituendum, partes ipsae suam retinent plenam individualitatem et autonomiam actionis. In corpore morali, ex altera parte, partes retinent individualitatem, sed unio earum est mere externa et accidentalis; in Corpore vero Mysticō, non obstante plena individualitate et personalitate cuiusque membra, Spiritus Sanctus, velut anima Corporis Mystici informans omnia membra, facit ex illis unum vere reale et supernaturale. Tandem, Ecclesia ut Corpus Mysticum Christi, praecedit sua membra, in quo differt ab omni associatione humana. Ipsa non constituitur suis membris, sed ipsa constituit membra: Ecclesia gignit Ecclesiam ut optime docet Augustinus.³⁶

2) « Duas vitas novit Ecclesia », scripsit Augustinus, « quarum est una in fide, altera in specie; una in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; ... ergo una bona est, sed adhuc misera; altera melior et beata ».³⁷

De Ecclesia in via existente hic agimus; et in hoc stadio transitorio Ecclesia remanet mysterium et sacramentum. Sicut in Christo adsunt invisibilis Deitas et visibilis Humanitas, sicut in Sacramentis adsunt invisibilis gratia et visibile signum, sic Ecclesia in via habet vitam internam invisibilem et structuram externam visibilem, utramque essentialem. Vita interna est gratia; structura externa est forma hierarchica visibilis Ecclesiae. Sub primo respectu Ecclesia est Communio Sancto-

³⁴ *Tractatus in Jo. Evang.*, 21, 8 (*PL* [Garnier], 35, 1568).

³⁵ *Loc. cit.*, 28, 1 (*ibid.*, 1622).

³⁶ Cf. *Serm.*, 192, 2 (*PL*, 38, 1012); *De sancta virginitate*, 2 (*PL* [Garnier], 40, 397); etc.

³⁷ *Tract. in Jo. Evang.*, 124, 5 (*PL* [Garnier], 35, 1974).

rum; sub altero, Institutio Salutis.³⁸ Principium unitatis internae est Spiritus Sanctus, principium unitatis externae vero hierarchica auctoritas. Hi duo aspectus, congregationalis scilicet et institutionalis, non debent ab invicem sejungi in considerando Ecclesiam. Christus per Spiritum Sanctum interne vivificat Ecclesiam; Ipsemet per Hierarchiam externe docet, regit et sanctificat eam, ministrando fidelibus media salutis et instrumenta gratiae uti sunt norma credendi, norma vivendi et sacramenta. Hae duae operationes Christi, invisibilis scilicet et visibilis, sunt inter se intime coordinatae. Quamvis actio ejus invisibilis latius patet quam actio visibilis, et defectum hujus implere potest quoties haec impeditur, ubi autem coincidunt, actio invisibilis semper se accommodat actioni visibili, ita ut numquam possint conflictus oriri inter inspirationes Spiritus Sancti et directiones Hierarchiae.

His positis, quid de positione laicorum in Ecclesia sit sentiendum breviter indicamus :

a) Est in Ecclesia *inaequalitas in ministerio et aequalitas in vita*. Inequalitas patet, quia pauci eliguntur ad personam ipsius Christi gerendam in docendo, regendo et media salutis administrando. Sunt ergo supra ceteros fideles. Sed haec superioritas et potestas non sunt eorum propriae sed Christi qui est agens principale in illis, et actio ejus valet sive digni sint ministri sive indigni. In illis Christus est qui honoratur et cui obeditur. Sed in persona propria, ipsi ministri sunt christifideles, iisdem mediis salutis egentes ac ceteri. In hoc sita est aequalitas in vita omnium fidelium. Unde Augustinus : « Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola

³⁸ Hoc non ita intelligendum est quasi ex solis justis constaret Ecclesia. Quandiu est in via ipsa inter membra sua includit etiam peccatores : « Neque existimandum est Ecclesiae Corpus, idcirco quod Christi nomine insigniatur, hoc etiam terrena peregrinationis tempore, ex membris tantummodo sanctitate praestantibus constare, vel ex solo eorum coetu existere, qui a Deo sint ad sempiternam felicitatem praedestinati. Id enim est infinitae Servatoris nostri misericordiae tribuendum, quod hec in mystico suo Corpore iis locum non denegat, quibus olim in convivio locum non denegaverit. Siquidem non omne admissum, etsi grave scelus, eiusmodi est ut — sicut schisma, vel heres, vel apostasia faciunt — suapte natura hominem ab Ecclesiae Corpore separat. Neque ab iis omnis vita recedit, qui licet caritatem divinamque gratiam pecando amiserint, atque adeo superni promeriti jam non capaces evaserint, fidem tamen christianamque spem retinent, ac caelesti luce collustrati, intimis Spiritus Sancti suasionibus impulsibusque ad salutarem instigantur timorem, et ad precardum suique lapsus paenitendum divinitus excitantur » (*Litt. enc. « Mystici Corporis Christi*», 29/6/1943 (*AAS*, 35 [1943], p. 203).

vobiscum condiscipuli sumus ».³⁹ Et interum : « Ubi me terret quod vobis sum; ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis [...] Si ergo plus me delectat, quod vobiscum emptus sum, quam quod vobis praepositus sum; tunc, ut Dominus praecipit, ero abundantius vester servus, ne ingratus sim pretio quo vester merui esse conservus ».⁴⁰

b) Hierarchia, utpote organum auctorativum visibilis actionis Christi in Ecclesia, est certe pars ejus potior. Verumtamen, Hierarchia non est tota Ecclesia, sicut fundamenta et columnae non sunt tota domus; lapides et lateres debent « implere quae desunt illis ». Unde S. Petrus scribebat primis christianis : « et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis ».⁴¹ S. Paulus eamdem figuram sic amplificat : « Ergo jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei : superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu ».⁴² Hinc paradoxon illud, quod majus est propter minus, Hierarchia propter fideles, non fideles propter Hierarchiam : « Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura : omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : Christus autem Dei ».⁴³ Audi Augustinum : « Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos quibus verbum et sacramentum dominicum ministramus »;⁴⁴ et : « Quid enim sumus nos, si peritis vos? Aliud est quod sumus propter nos; aliud, quod sumus propter vos. Christiani sumus propter nos, Clerici et Episcopi non nisi propter vos. Apostolus non Clericis, non Episcopis et Presbyteris loquebatur quando dicebat : *vos autem estis membra Christi*. Plebis dicebat, Fidelibus dicebat, Christianis dicebat : *vos autem estis membra Christi* ».⁴⁵

c) Est in Ecclesia, praeter visibilem Hierarchiam Potestatis, alia gradatio invisibilis quae, per analogiam, potest nominari hierarchia meri-

³⁹ *Enarrationes in Psalmos*, 126, 3 (*PL*, 37, 1669).

⁴⁰ *Sermones*, 340, 1 (*PL*, 38, 1483).

⁴¹ *I Pet* 2, 5.

⁴² *Ephes* 2, 19-22.

⁴³ *I Cor* 3, 22-23.

⁴⁴ *Contra Cresconium Donatistam*, II, 11, 13 (*PL*, 43, 474).

⁴⁵ *Sermones inediti*, 17, 8 (*PL*, 46, 880).

rorum, quae non necessario correspondet Hierarchiae Institutionalii. Dum visibilia instrumenta gratiae administrantur ab Hierarchia Potestatis, invisibilis illa circulatio gratiae quae Communio Sanctorum dicitur multum ab illa hierarchia meritorum dependet, ita ut ipsi Pastores aliquando a suis ovibus pascantur.

Insuper, forma hierarchica visibilis Ecclesiae est institutio provisoria, temporaria, pro isto stadio Ecclesiae in via. In patria ipsa non indigebit amplius doctrina vel legibus vel sacramentis: ibi Christus non per ministros, sed per semetipsum, suos beatificabit. Verum character sacerdotalis perdurabit in beatis ad eorum majorem gloriam; sed fundamentalis ordo in coelo erit ordo meritorum, hierarchia gratiae et gloriae.

Concludimus verbis Pii XII superius allatis: « Laici non solum pertinent ad Ecclesiam, *ipsi sunt Ecclesia* »!⁴⁶

Activitas Laicorum in Ecclesia

Est in Ecclesia duplex activitas: infinita actio Christi, quae est totum, et « infinitesimalis » actio christifidelium quae per gratiam ejus est aliquid. Activitas spiritualis fidelium necessario sequitur ex eorum organica et vitali unione cum Christo Capite. Nullum membrum alicujus organismi vivi potest remanere mere passivum, sed debet, ut vivat, agere et sua activitate aliquomodo pervadere totum corpus. Haec reciproca actio omnium membrorum et consequens circulatio vitae spiritualis per totum Corpus Mysticum vocatur Communio Sanctorum. In hac activitate interna Corporis Mystici, quodlibet membrum non solum recipit gratiam, sed fit, secundum cuiusque cooperationem cum ea, magis vel minus potens centrum intensificationis et distributionis gratiae. Sic quilibet potest succurrere necessitatibus aliorum, maxime per orationem, imo membra aparenter humilia possunt esse revera sustentacula ipsarum columnarum Ecclesiae. Scripsit Pius XII in Litt. enc. *Mystici Corporis Christi*: « Et quemadmodum in mortali concretatione nostra cum membrum dolet, cetera omnia condolescunt; et quae sana sunt aegrotantibus suppetias veniunt: ita in Ecclesia singula membra non sibi unice vivunt, sed aliis quoque opitulantur, atque omnia sibi invicem adjutricem operam praestant, cum ad mutuam consolationem, tum ad ampliorem usque aedificationem totius Corporis [...] Minime autem reputandum est hanc ordine digestam, seu 'organicam' ut aiunt, Ec-

⁴⁶ Cf. supra nota 3.

clesiae Corporis structuram solis hierarchiae gradibus absolvit ac definiri; vel, ut opposita sententia tenet, unice ex *charismaticis* constare; qui quidem donis prodigalibus instructi, numquam sunt in Ecclesia defuturi [...] — Quin imo animadvertisendum est, in praesentibus potissimum rerum condicionibus, patres matresque familias, ac patres matresque ex baptismate, eosque nominatim, qui ex laicorum ordine ad Divini Redemptoris regnum dilatandum adjutricem ecclesiasticae hierarchiae operam navant, honorificum, etiamsi saepenumero humilem, in christiana societate obtinere locum; ac vel eos posse, adspirante faventeque Deo, ad sanctitudinis culmen ascendere, numquid in Ecclesia ex Iesu Christi promissionibus defuturum?».⁴⁷

Fundamenta Activitatis Christianae

a) *Character Sacramentalis.*

In eo invenit S. Thomas primum fundamentum activitatis christiana. Sic in *Summa theologiae*: «Sacraenta novae legis ad duo ordinantur: videlicet, ad remedium contra peccata; et ad perficiendum animam in his quae pertinent ad cultum Dei secundum ritum Christianae vitae. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud designari: sicut milites qui ascribebantur ad militiam antiquitus solebant aliquibus characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo, *cum homines per sacramenta deputantur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali chartere insigniantur*»; et prosequitur: «Ad primum ergo dicendum quod fideles Christi ad praemium quidem futurae gloriae deputantur signaculo praedestinationis divinae. Sed ad actus convenientes praesenti Ecclesiae deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, quod character nuncupatur». Et omnis character sacramentalis est quaedam potentia spiritualis: «Sicut dictum est, sacramenta novae legis characterem imprimunt inquantum per ea deputamus ad cultum Dei secundum ritum Christianae religionis... Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa; ad recipiendum autem re-

⁴⁷ *AAS*, 35 (1943), pp. 200-201.

quiritur potentia passiva. Et ideo *character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus* ».⁴⁸

Duo sacramenta characterem imprimentia, quae laicos spectant, sunt Baptismus et Confirmatio; ex quibus Confirmatio proprie est sacramentum apostolatus. Item S. Thomas: « Vitam spiritualem homo accipit per baptismum qui est spiritualis regeneratio. In Confirmatione autem homo accipit quamdam aetatem perfectam spiritualis vitae »;⁴⁹ « In hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem cum ad perfectam aetatem pervenerit, *incipit jam communicare actiones suas ad alios*; antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit »;⁵⁰ « Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio competit ei cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam actiones alias sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout secundum seipsum vivit: sed in confirmatione accipit *potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei* ».⁵¹ Haec functio apostolica Confirmationis manifeste apparebat in primis diebus Ecclesiae quando ipsi simplices fideles plerumque recipiebant, simul cum infusione Spiritus Sancti, charismata quae reddebat eos prophetas et praedicatores.

b) Participatio Sacerdotii Christi.

Aliud fundamentum apostolatus laicorum est illud Sacerdotium Regale Christi quo omnes fideles participant, secundum S. Petrum: « Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum... Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ».⁵² Hoc tamen sacerdotium spirituale, omnibus fidelibus commune, non esse confundendum cum illo sacerdotio ministeriali quod per sacram ordinationem confertur, quodque proprie vocatur sacerdotium, sapienter admonet Pius XII in allocutione ad Patres Cardinales et Sacrorum Antistites habita die 2 nov. 1954: « Ceteroquin

⁴⁸ III, q. 63, a. 1.

⁴⁹ III, q. 72, a. 1.

⁵⁰ Loc. cit., a. 2.

⁵¹ Loc. cit., a. 5.

⁵² I Pet 2, 5. 9.

negari vel in dubium vocari non debet fideles quoddam habere 'sacerdotium', neque hoc parvi aestimare vel deprimere licet. Princeps enim Apostolorum in prima sua Epistola, alloquens fideles, his utitur verbis: 'Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis'; et paulo ante ibidem asserit ad fideles pertinere 'sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum'. At quaecumque est hujus honorifici tituli et rei vera plenaque significatio, firmiter tenendum est, commune hoc omnium christifidelium, altum utique et arcanum, 'sacerdotium', non gradu tantum, sed etiam essentia differre a sacerdotio proprio vereque dicto, quod positum est in potestate perpetrandi, cum persona Summi Sacerdotis Christi geratur, ipsius Christi sacrificium ».⁵³

Sed neque est censendum hoc sacerdotium fidelium quid mere metaphorice dictum; est realitas quaedam spiritualis, diversa quidem a sacerdotio ministrorum ordinatorum, sed fundata in charactere sacramentali. Sic S. Thomas: « Secundo autem deputatur quisquis fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea quae pertinent ad cultum Dei. Et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus Christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. *Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christe derivatae ».*⁵⁴

Qualis est functio hujus sacerdotii spiritualis? Certe hoc non dat fidibus potestatem gerendi personam Christi et offerendi sacrificium ipsius Christi; dat tamen eis possibilitatem adjungendi se Christo et cooperandi cum Eo in ejus opere salvifico, vel, ut fortius exprimit Apostolus, « adimplendi ea quae desunt passionum Christi, pro corpore ejus quod est Ecclesia ».⁵⁵ Quamvis merita Christi sufficiebant ad omnia, hoc non sufficiebat ei; voluit ipse nos non solum redemptos esse, sed et *redemptores*. Sicut Ecclesia est complementum Christi, quamvis, ut apte notat S. Augustinus, Christus cum Ecclesia non est plus quam Christus solus; sic dignatus est Christus acceptare merita fidelium ut complementum sui infiniti meriti. Dum Christus per seipsum totam redemptionem effecerit, applicatio tamen hujus redemptionis ad singula individua conditionatur cooperatione eorum qua ipsa sibimetipsis et aliis « implet ea quae desunt passionum Christi ». Fideles debent spiritua-

⁵³ AAS, 46 (1954), p. 669.

⁵⁴ III, q. 63, a. 3.

⁵⁵ Col I, 24.

liter se adjungere Christo ut offerentes et victima ejus sacrificii. Ipse sacerdos ordinatus qui, *in persona Christi*, offert sacrificium divinum ipsius Christi, non potest ullum fructum sibi percipere nisi simul, *in propria persona*, spiritualiter cooperetur Christo. Primum est opus solius Christi in quo minister mere instrumentaliter se gerit; alterum cooperatio hominis cum Christo qua ipse personaliter participat sacrificio Christi, «adimplendo ea quae desunt passionum Christi». Et hoc secundum est quod sacerdotio spirituali fidelium competit. Sunt auctores qui vellent nominare supradictae duae species sacerdotii respective «sacerdotium potestatis» et «sacerdotium sanctitatis», utpote fundata respective in potestate Ordinis et gratia sanctificante; sed termini non satis felices videntur.

c) Dona Charistica.

Hic agitur de aliquo fundamento activitatis fidelium extraordinario, miraculoso, proindeque efficacissimo. Sed cum sit res extraordinaria, necessitatibus extraordinariis Ecclesiae providens, Christus non voluit eam institutionaliter perpetuare. Unde quamvis Apostoli habuerint illa dona, successores eorum, ratione successionis, non acquirunt ea. Quando necessitas Ecclesiae poscit, Deus suscitat charisticos, eligens quos vult, clericos vel laicos indiscriminatim. In primitiva Ecclesia, praeter Apostolos magnum numerum fidelium donis charisticis insignitorum legimus in *Actibus Apostolorum* et Epistolis S. Pauli. «Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcitione fideles qui venerant cum Petro: quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum».⁵⁶ «Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult».⁵⁷

Quamquam charismata directe a Deo veniunt, non mediante hierarchia, plene tamen subjacent jurisdictioni hierarchiae cuius est de eis judicare et eorum exercitium publicum in Ecclesia regulare. Totum

⁵⁶ *Act* 10, 44-46.

⁵⁷ *I Cor* 12, 8-11.

Caput XIV Epistolae *I ad Corinthios* est instructio ad charismaticos, in qua S. Paulus minutum agit de singulis donis, eorum relativa praestantia et utilitate, de modo quo charismati sese comportare debent, ordine quo in ecclesia loqui oportet etc. Et concludit his verbis quibus constat quam auctoritatem hierarchia ecclesiastica habeat in hac materia : « An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit? Si quis videtur propheta esse aut spiritualis cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque, fratres, aemulamini prophetare : et loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant ».⁵⁸

Charismata, secundum S. Thomam, proprie ordinantur ad apostolatum : « Sicut supra dictum est, gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur ut reducatur ad Deum. Homo autem ad hoc operari non potest interius movendo, hoc enim solius Dei est; sed solum exterius docendo vel persuadendo. Et ideo gratia gratis data illa sub se continet quibus homo indiget ad hoc ut alterum instruat in rebus divinis, quae sunt supra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem, quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc possit alios instruere. Secundo, ut possit confirmare vel probare ea quae dicit; alias non esset efficax ejus doctrina. Tertio, ut ea quae concipit, possit convenienter auditoribus proferre ».⁵⁹

Cum hujusmodi dona Deus libere dat, quando et cui vult, nullus debet ea expectare vel in earum anticipatione suas activitates apostolicas fundare. Ut fundamentum ergo apostolatus ordinarie non assumitur. Numquam tamen deerunt in Ecclesia, ut notat Pius XII in Litt. enc. *Mystici Corporis Christi*.⁶⁰ Ipsa aetate moderna, quamplurimi « motus » religiosi, totam Ecclesiam salubriter affidentes, hanc veritatem confirmant. Pauca adducimus exempla : Lourdes, Fatima; devotiones SS. Cordis Jesu, Numismatis miraculosi; Opus Pontificium pro Propagatione Fidei, Opus S. Petri Apostoli; Congressus Internationales Eucharistici; Conferentiae S. Vincentii a Paulo, Legio Mariae... Omnia ista ortum sumpserunt ex initiativa simplicium fidelium, maxima ex parte seminarum, quorum aliqui receperunt a Deo revelationes vel inspirationes extraordinarias.

⁵⁸ *I Cor* 14, 36-40.

⁵⁹ I-II, q. III, a. 4.

⁶⁰ *AAS*, 35 (1943), p. 200.

C. "Apostolatus"

«Apóstolos», forma adjectiva derivata ex verbo graeco «apostέlo» (mittere), ab antiquis graecis adhibebatur ad designandam expeditiōnem praesertim nauticam, vel classem navium in aliquem finem determinatum missam. Exinde terminus generalem significationem accepit missionis. Nomenclatura ista paulatim venit in usum etiam apud Judaeos, maxime post versionem Septuaginta in qua plures adhibetur vocabulum 'apóstolos' ad significandum 'missus'. Sed in usu Judaeorum nomen apostolus non necessario importat aliquam missionem religiosam. Codex Theodosianus (c. a. 436) dicit quod Judaei eos «apostolos vocant qui ad exigendum aurum atque argentum a patriarcha certo tempore diriguntur».⁶¹ Et Eusebius Caesareae ad initium quarti saeculi scribebat: «Apostolos vero etiam nunc Judaei nuncupare solent eos qui circulares principum suorum litteras circumquaque deportant».⁶²

In Evangelii vero verbum istud accepit suum sensum plene religiosum et restrictum. In eis non omnes «missi» sunt apostoli, etiamsi missi a Christo. Illi septuaginta duo, quos misit Dominus praedicare, non vocantur apostoli, sed mere discipuli. Requiritur specialis aliqua electio et designatio a Christo personaliter facta ut quis Apostolus censeatur. Electionem Apostolorum ut eventum quoddam extraordinarii momenti praesentant Evangelia: «Factum est autem in illis diebus, exit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis *quos et apostolos nominavit*»;⁶³ «Et ascendens in montem vocavit ad se *quos voluit ipse*: et venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo: et ut mitteret eos praedicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi daemonia».^{⁶⁴} Intima et diuturna cum Christo conversatio est alia qualitas in vero Apostolo requisita. Dum Apostoli voluerunt alium substituere loco Judaei perdit, hanc qualificationem specialiter quaeasierunt in candidatis coram Deo statuendis: «Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptimate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis».⁶⁵ Hinc etiam sollicitudo S. Pauli probandi se plures

^{⁶¹} III, tit. VIII, 14.

^{⁶²} *Comm. in Isaiam*, 18 (PG, 24, 213B).

^{⁶³} Lc 6, 12-13.

^{⁶⁴} Mc 3, 13-15.

^{⁶⁵} Act 1, 21-22.

vidisse Christum et ab eo fuisse personaliter instructum et in Apostolum designatum : « Notum vobis facio, fraters, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi »;⁶⁶ « Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum; nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino ».⁶⁷ Hoc ergo sensu strictissimo, solum duodecim (quae formula includit tertiumdecimum Paulum) sunt Apostoli.

Sed in ipso Novo Testamento non desunt indicia usus termini 'apostolus' sensu latiori et minus proprio. S. Paulus enumerando charismatiscos nominat etiam apostolos inter eos : « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, exinde doctores etc. ».⁶⁸ In Epistola *ad Romanos* legimus : « Salutate Andronicum et Julianam, cognatos et concaptivos meos : qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo ».⁶⁹ In primis duobus textibus probabiliter, et in tertio certe, terminus 'apostolus' adhibetur non sensu stricto, solis duodecim appropriato, sed latiori ad eos designandos qui, specialibus donis muniti, christifideles docebant et dirigebant. Hic usus impripius decursu temporis sancitus est traditione, ita ut missionarii praedicatores communiter apostoli vocentur. Imo mulierem Samaritanam, quae Christum concivibus suis annuntiavit, Origenes apostolam nominare non est veritus.⁷⁰ Missio et praedicatio sunt quidem elementa essentialia conceptus Apostoli, primum ex ipsa etymologia, et utrumque ex mandato Christi. Sic vere apostoli sunt per assimilationem ii qui ab auctoritate competenti mittuntur ad annuciandum Evangelium populis infidelibus vel non-christianis.

Sed hoc non est totus ambitus muneric apostolici. Apostoli sunt etiam rectores Ecclesiae; et sub hoc respectu Episcopi sunt proprii apostoli per successionem. Si ergo licet adhibere terminum apostolatus sensu latiori, non appareat ratio quare debeat restringi ad munus missionarium Apostolorum, et non extendatur ad munus pastorale eorum. Hinc tendentia hodierna nominandi apostolatum omnem activitatem Ecclesiae, sive sit extensiva ad infideles directa, sive intensiva ad fideles ipsos directa; non solum activitatem Hierarchiae quae nomine Ecclesiae

⁶⁶ Gal 1, 11-12.

⁶⁷ I Cor 9, 1-2.

⁶⁸ I Cor 12, 28; fere idem Ephes 4, 11.

⁶⁹ Rom 16, 7.

⁷⁰ Comment. in Jo., 13, 28 (PG, 14, 448B).

agit, sed et fidelium qui, nomine quidem proprio, sed secundum mentem Ecclesiae agunt ad profectum regni Christi. Hoc sensu latissimo terminus iste adhibetur in praesenti tractatu de Apostolatu Laicorum. Quo sensu apostolatus definiri licet : *Omnis activitas Corporis Mystici Christi qua opus Christi in terris continuatur per progressivam applicationem fructus redemptionis.* Post superius dicta, definitio non indiget ampliori explicatione, excepta forsan ultima clausula. Haec additur quia Ecclesia continuat opus Christi non redemptionem efficiendo ut ipse fecit, sed eam applicando.

Antequam transeamus ad apostolatum laicorum examinandum, oportet primum determinare ambitum apostolatus totius Ecclesiae, cuius pars est apostolatus laicorum.

Ambitus apostolatus Ecclesiae

Cum Ecclesiae sit continuare opus Redemptionis, activitas ejus debet se extendere ad omne quod est subjectum Redemptionis. Subjectum vero Redemtionis est duplex.

a) *Subjectum Directum Redemptionis.*

Sunt animae humanae, ad quarum salutem fundata est Ecclesia, proindeque ei competit omnis activitas quae directe vel indirecte finem ultimum hominis spectat. Ideo Ecclesia non solum est munita mediis spiritualibus, sed habet jus ad omnia media temporalia, imo et materialia, sine quibus, in praesenti constitutione hominis, finis spiritualis aut non attingitur, aut nonnisi difficulter attingi valet. Errant ergo ii qui, cum quadam formula simplicista, restringere conantur activitatem Ecclesiae ad pure spiritualia. « Contra hujusmodi errores aperte firmiterque tenendum est », ait Pius XII, « Ecclesiae potestas numquam ‘ rerum stricte religiosarum ’, uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in ejus sunt potestate. Observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Jam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam, hominum dux et custos [...] Et in re sociali non una tantum, sed plures etiam eaeque gravissimae sunt quæstiones, sive mere sociales, sive sociales-politicae, quae ordinem ethi-

cum, conscientias, salutem animorum spectant, ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae. Quin immo etiam extra ordinem socialem occurrunt quaestiones, non stricte 'religiosae' de rebus politicis sive ad singulas sive ad omnes nationes pertinentibus, quae ordinem ethicum attingunt, conscientias gravant, adeptionem finis ultimi haud levi periculo exponere possunt et persaepe exponunt. Ita quaestio de fine ac terminis potestatis civilis; de rationibus inter singulos homines et societatem; de 'Statibus totalitariis', quos vocant, ex quovis principio ortis et deductis, de 'totali laicisatione Status', uti dicitur, et vitae publicae; de plene efficienda scholae 'laicisatione'; de natura ethica belli, de legitimo vel non legitimo bello, quale nostris temporibus geritur, et de viri religiosae conscientiae in eo adjutrici opera permittenda vel deneganda; de vinculis et rationibus ethicis quibus Nationes mutue reguntur et tenentur».⁷¹

Ex supradictis patet quod Ecclesiae auctoritas et activitas se extendunt ad omnia non solum pure spiritualia, sed etiam materialia et temporalia in quantum aut media sunt ad finem supernaturalem, aut impllicantur in eis principia religiosa vel moralia; et limitantur ad ea.

b) Subjectum Indirectum Redemptionis.

Praeter subjectum primarium et principale Redemptionis, quod sunt animae humanae, adest et aliud subjectum Redemptionis, scilicet mundus materialis. Patet terminum redemptionis hic adhiberi sensu lato at analogico; creatura enim irrationalis nec est capax elevationis ad ordinem supernaturalem nec proinde casus ab eo. Verumtamen, cum mundus materialis creatus sit propter hominem, dum homo elevatur ad ordinem supernaturalem, totus mundus «ordinatur» sursum per illum, et quando homo cadit, mundus materialis hanc «ordinationem» amittit: mundus cecidit per hominem et cum homine, et hoc sub respectu indiget redemptio. «Nam exspectatio creature revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creature subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes: et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis

⁷¹ Allocutio Em.mis DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. Antistibus, 2/11/1954 (AAS, 46 [1954], pp. 671-673).

nostri ».⁷² Quae est illa creatura de qua loquitur Apostolus? S. Augustinus per eam intelligit hominem solum qui ute pote microcosmos est vere omnis creatura; verumtamen fatetur difficultatem textus: « Hoc capitulum obscurum est, quia non satis hic apparet quam nunc vocet creaturam. Dicitur autem secundum catholicam disciplinam creatura, quidquid fecit et condidit Deus Pater per Unigenitum Filium in unitate Spiritus Sancti. Ergo non solum corpora, sed etiam animae nostrae ac spiritus creaturae nomine continentur. Sic autem dictum est, *ipsa creatura liberabitur a servitute interitus in libertatem gloriae filiorum Dei*: quasi nos non simus creaturae, sed filii Dei, in quorum gloriae libertatem liberabitur a servitute creatura. Item dicit, *scimus enim quia omnis creatura congregescit et dolet usque adhuc; non solum autem illa, sed et nos ipsi*: tamquam aliud simus nos, aliud omnis creatura ».⁷³ Sed secundum plures Patres, e. g., SS. Joannem Chrysostomum, Cyrrillum Alexandrinum, Joannem Damascenum, et fere omnes expositos modernos, « creatura » illa de qua loquitur Apostolus est mundus materialis, non quidem in se consideratus, sed in sua intima relatione cum homine.⁷⁴ Creatura ergo haec « frustrata » et « redimenda », non sunt res materiales ut tales, sed mundus materialis et ordo temporalis prout subjacet dominio et usui hominis. Homo ut pontifex creationis debet creature irrationales positive dirigere versus Deum, et adhibendo eas ad gloriam Dei adimplere finem creationis earum; quod si homo non facit, creatio manet frustrata a suo fine. Indigit ergo quadam redemptione, sensu quidem analogico, sed non mere metaphorico. Et notandum quod ipse homo includitur in hoc secundario objecto redemptionis quantum ad ejus corpus et omnes perfectiones naturales corporis et animae. Unde Apostolus, in superius citato textu, addit quod *et nos ipsi primitias spiritus habentes, adhuc gemimus expectantes redemtionem corporis nostri*.

Christus ergo est Redemptor non solum animarum, sed et totius creaturae materialis; est Rex non solum regni spiritualis, sed et totius ordinis temporalis: « Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium ».⁷⁵ « Turpiter erret », scribebat Pius XI, « qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abjudicet, cum is a Patre jus in res creatas absolutissimum sic obtineat,

⁷² Rom 8, 19-23.

⁷³ De diversis quaestionibus LXXXIII, 67, 1 (PL [Garnier], 40, 66).

⁷⁴ Cf. R. CORNELIY, Comm. in S. Pauli apostoli epistolas, t. I, Parisiis 1896, pp. 424-434.

⁷⁵ Apoc 19, 16.

ut omnia in suo arbitrio sunt posita ».⁷⁶ Et hoc jus Christo competit non solum ratione suae divinitatis, sed etiam titulo redemptionis : « At vero quid possit jucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis jure non tantum nativo sed etiam quae sit, scilicet redemptionis, imperare ? »⁷⁷ Et S. Thomas : « Christus per crucis victoriam meruit potestatem et dominium super gentes ».⁷⁸

Hunc quoque finem secundarium redemptionis, scilicet mundum materialem reconciliandi Deo, Christus suaे Ecclesiae proposuit, sed non eodem modo ac finem primarium. Nam Ecclesiae dedit omnem auctoritatem in regno suo spirituali, ut ipsa directe et auctoritative agat omne quod pertinet ad salutem animarum. Sed respectu ad regnum temporale, Ecclesiae non contulit auctoritatem sicut et ipse non exercuit suum dominium temporale durante sua vita mortali. Dicit S. Thomas : « Ad secundum dicendum quod Christo omnia sunt subjecta quantum ad potestatem, quam a Patre super omnia accepit, secundum illud Matth. : ‘ Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra ’. Non dum tamen sunt ei omnia subjecta quantum ad executionem suaे potestatis. Quod quidem erit in futuro, quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem salvando quosdam puniendo ».⁷⁹ Potius diceremus quod habendo potestatem et libertatem executionis, ipse in sua infinita sapientia noluit eam exercere. De qua re idem Pius XI in praedictis Litteris enc. dicit : « Siquidem, non una data occasione, cum Judaei, immo vel ipsi Apostoli, per errorem censerent fore ut Messias populum in libertatem vindicaret regnumque Israel restitueret, vanam ipse opinionem ac spem adimere et convellere [...] coram Praeside romano edicere, regnum suum de hoc mundo non esse [...] Turpiter ceteroquin erret qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abjudicet, cum is a Patre jus in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sunt posita. At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab ejusmodi dominatu exercendo se prorsus abstinuit, atque, ut humanarum rerum possessionem procriptionemque olim contemptis, ita eas possessoribus et tum permisit et hodie permittit. In quo perbelle illud : *Non eripit mortalia qui regna dat coelestia* ».⁸⁰

Christus ergo dum Ecclesiae contulit plenitudinem potestatis in suo regno spirituali, potestatibus legitimis hujus mundi reliquit regimen et

⁷⁶ Litt. enc. « Quas primas », 11/12/1925 (*AAS*, 17 [1925], p. 600).

⁷⁷ Loc. cit. (*ibid.*, p. 599).

⁷⁸ III, q. 42, a. 1.

⁷⁹ III, q. 59, a. 4.

⁸⁰ Litt. enc. « Quas primas » (*AAS*, 17 [1925], p. 600).

administrationem regni temporalis quod utique ab eo dependet, cum omnis potestas ab eo sit. Haec dualitas in regno Christi perdurabit usque ad *parousiam* quando fiet coelum novum et terra nova, et omnia coalescent in unum indivisum regnum Dei. «Deinde finis : cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors : omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat : omnia subjecta sunt ei, sine dubio praeter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia : tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus ».⁸¹ Hoc in *Parousia*.

In *Via* vero, duo haec regna, Spirituale scilicet et temporale, ab invicem distincta manent, utrumque plene autonomum in sua sphaera, neutrum subjectum alteri (quamquam finis regni temporalis subordinatur fini regni spiritualis), quae debent mutuo cooperari ad regnum Christi plene realizandum. Haec dualitas plerumque importat problema conscientiae christiana. Unde Augustinus : «Cum enim constemus ex anima et corpore, et quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendae hujus vitae utamur; oportet nos ex ea parte, quae ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatis, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa vero parte qua credimus Deo, et in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, id ipsum in nobis evertere cipienti, quod Deus ad vitam aeternam donare dignatus est. Si quis ergo putat quoniam christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis quae haec curant potestatis; in magno errore versatur. Item si quis sic se putet esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate praecellit; in maiorem errorem labitur. Sed modus isie servandus est, quem Dominus piaescripsit, ut reddamus Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt. Quamquam enim ad illud regnum vocemur ubi nulla erit potestas hujusmodi, in hoc tamen itinere dum agimus, donec perverniamus ad illud saeculum ubi fit evacuatio omnis principatus et potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus, nihil simulate facientes, et in eo ipso non tam hominibus quam Deo, qui haec jubet, obtemperantes ».⁸²

⁸¹ *I Cor* 15, 24-28.

⁸² *Expositio quarundam propositionum ex Epist. ad Rom.,* 72 (*PL* [Garnier], 35, 2083-2084).

Secundarium obiectum redemptionis Ecclesia non attingit immediate, sed mediate. Apostolatum circa illud exercet Ecclesia per christifideles, quorum est iterum ordinare mundum et eum Christo lucrifacere : cum homo lapsus pessum dederit ordinationem rerum mundanarum, illas averterns a Deo, Christus decrevit quod homo redemptus eas iterum ordinet versus Deum. De quo fusius infra, ubi de apostolatu laicorum in specie.

Diversae Formae Apostolatus Ecclesiae

Sunt in Ecclesia duas species activitatis : una Christi capititis, altera membrorum Christi. Christus visibiliter agit in Ecclesia per hierarchiam, ideoque apostolatus hierarchiae est auctorativus, officialis, juris publici et nomine Ecclesiae factus. Missio hierarchiae vocatur *missio ex institutione*, quia provenit ex stabili institutione Christi qua providetur illi habitualiter et permanenter omnis auctoritas et omnia media ad regnum Christi propagandum.

Apostolatus vero christifidelium fundatur quidem in charactere sacramentali, ut superius indicavimus, sed ejus actuatio dependet ab inspiratione Spiritus Sancti; proinde missio eorum vocatur *missio ex Spiritu*. Quae inspiratio Spiritus Sancti, utpote gratia actualis, non conciliat huic apostolatui eamdem regularitatem et continuitatem ac missio ex institutione : secundum exigentias Ecclesiae conceditur fidelibus, frequenter quidem, sed semper transeunter. Item deest illi auctoritas, quia fideles non agunt in persona Christi. Non est apostolatus officialis, publicus et nomine Ecclesiae factus (nisi agatur de casu specialis mandati hierarchiae, quod revera non pertinet ad essentiam apostolatus laicorum), sed privatus nomine proprio factus. Ad ambitum hujus apostolatus quod attinet, ex una parte non pertingit ad totum campum spiritualem qui subjacet activitati hierarchiae, et ex altera, pervadit totum campum pure saecularem etiam quo activitas hierarchiae non pervenit. Et in omnibus his apostolatus laicorum subjacet vel regimini, vel directioni, vel saltem vigilantiae hierarchiae secundum naturam cuiusque casus.

Antequam concludamus hoc caput indicamus aliam quoque divisionem apostolatus in *directum* et *indirectum*. Haec distinctio praecipue locum habet ubi agitur de apostolatu ad finem spiritualem, sive a clericis sive a laicis exerceatur. Ubi media spiritualia (uti sacramenta, praedicatione, catechesis) adhibentur ad finem spiritualem, apostolatus dicitur *directus*; ubi vero media temporalia (ut cura infirmorum, educatio sae-

cularis etc.) adhibentur ad finem spiritualem, habetur apostolatus *indirectus*. In primo, finis operis et finis operantis coincidunt; in altero, dum finis operis manet temporalis, finis operantis convertit activitatem in spiritualem.

II

DE LAICORUM APOSTOLATU IN SPECIE

Claritatis gratia omnes species apostolatus laicorum reducimus ad quatuor gradus, prout infra :

1) *Actus ex Commissione vel Delegatione Auctoritatis Ecclesiasticae*. Proprie loquendo hujusmodi activitas non pertinet ad apostolatum laicorum per se : i. e. laici non possunt eam ex sua propria initiativa assumere; ipsi adhibentur ut instrumenta ab hierarchia. Est hic casus participationis laicorum in activitate clericorum. Actus illi possunt esse ex ipsa intrinseca sua natura clericales, ut praedicatio, administratio SS. Eucharistiae; vel natura sua saeculares sed intime cum spiritualibus connexi, ut administratio bonorum temporalium ecclesiae. Verumtamen, ut notat Pius XII in allocutione ad secundum Congressum Internationalem Apostolatus Laicorum, ministeria illa dum a laicis exercentur, vere apostolatus laicorum sunt nuncupanda, quia commissio aliquorum actuum clericalium laico facta non convertit eum in clericum.⁸³

⁸³ Nous prendrons comme point de départ de ces considérations l'une des questions destinées à préciser la nature de l'apostolat des laïcs : Le laïc chargé d'enseigner la religion avec « missio canonica », avec le mandat ecclésiastique d'enseigner, et dont cet enseignement constitue peut-être même l'unique activité professionnelle, ne passe-t-il pas, par là même, de l'apostolat laïc à 'l'apostolat hiérarchique' ?

Pour répondre à cette question, il faut se rappeler que le Christ a confié à ses Apôtres eux-mêmes un double pouvoir : d'abord le pouvoir sacerdotal de consacrer qui fut accordé en plénitude à tous les Apôtres ; en second lieu celui d'enseigner et de gouverner, c'est-à-dire, de communiquer aux hommes, au nom de Dieu, la vérité infallible qui les engage et de fixer les normes qui régissent la vie chrétienne.

Ces pouvoirs des Apôtres passèrent au Pape et aux Evêques. Ceux-ci par l'ordination sacerdotale, transmettent à d'autres, dans une mesure déterminée, le pouvoir de consacrer, tandis que celui d'enseigner et de gouverner est le propre du Pape et des Evêques.

Quand on parle d'*apostolat hiérarchique*, et d'*apostolat des laïcs*, il faut donc tenir compte d'une double distinction : d'abord, entre le Pape, les Evêques et les prêtres d'une part, et l'ensemble du laïcat d'autre part ; puis, dans le clergé lui-même, entre ceux qui détiennent dans sa plénitude le pouvoir de consacrer

2) *Actio Catholica.* Est apostolatus proprie laicorum, finem primarium Incarnationis spectans, quem hierarchia per speciale mandatum sibi adjungit ut complementum sui apostolatus. Hic agitur de actibus apostolatus qui sunt proprie sub competentia laicorum, quos laici ipsi possunt exercere sine interventu hierarchiae; sed assumptio ab hierarchia dat huic apostolatui quemdam characterem publicum in Ecclesia.

3) *Actio Catholicorum in ordine spirituali.* Omnis activitas quae venit sub categoria superiori, sc., Actione Catholica, dum exercetur sine interventu mandati hierarchiae, hoc nomine intelligitur. Est ergo apostolatus laicorum privatus, quatenus laici propria initiativa et nomine proprio agunt.

4) *Actio Catholicorum in ordine temporali.* Haec activitas respicit ad finem secundarium Incarnationis quem superius explicavimus, et se extendit ad totum campum saecularis ordinis, ubi soli laici habent plenam libertatem actionis.

Species apostolatus laicorum hoc praecise ordine posuimus ad indicandum etiam eorum gradum dependentiae ab hierarchia: in prima habetur maxima dependentia et in ultima minima.

A. Activitas laicorum ex delegatione ecclesiastica

Omnis activitas hierarchiae ut talis provenit ex duplice potestate ordinis et jurisdictionis. Ex quibus potestas ordinis nequit delegari; solum potest quis ordinari, quo facto desinit esse laicus. Potestas vero juris-

et de gouverner, et les autres clercs. Les premiers (Pape, Evêques et prêtres) appartiennent nécessairement au clergé; si un laïc était élu Pape, il ne pourrait accepter l'élection qu'à condition d'être apte à recevoir l'ordination et disposé à se faire ordonner; le pouvoir d'enseigner et de gouverner, ainsi que le charisme de l'infalibilité, lui seraient accordés dès l'instant de son acceptation, même avant son ordination.

Maintenant, pour répondre à la question posée, il importe de considérer les deux distinctions proposées. Il s'agit, dans le cas présent, non du pouvoir d'ordre, mais de celui d'enseigner. De celui-ci, seuls les détenteurs de l'autorité ecclésiastique sont dépositaires. Les autres, prêtres ou laïcs, collaborent avec eux dans la mesure où ils leur font confiance pour enseigner fidèlement et diriger les fidèles (cfr. *can. 1327 et 1328*). Les prêtres (qui agissent *vi muneric sacerdotalis*) et les laïcs aussi peuvent en recevoir le mandat qui, suivant les cas, peut être le même pour tous les deux. Ils se distinguent cependant par le fait que l'un est prêtre, l'autre laïc, et que, par conséquent, l'apostolat de l'un est sacerdotal, celui de l'autre est laïc. Quant à la valeur et l'efficacité de l'apostolat exercé par l'enseignant de religion, elles dépendent de la capacité de chacun et de ses dons surnaturels» (*AAS*, 49 [1957], pp. 924-925).

dictionis delegari potest laicis, saltem viris, et non desunt casus hujusmodi in historia Ecclesiae, sed legislatio vigens Ecclesiae hoc vetat, ita ut hodie non possit laicis delegari potestas jurisdictionis.⁸⁴ Hic ergo non agimus de delegatione potestatis sive ordinis sive jurisdictionis, sed de commissione laicis facta aliquorum actuum qui natura sua clericis competunt. Est usus laicorum ad aliqua ministeria clericalia ob defectum praecipue copiae clericorum. Hujusmodi participatio laicorum potest versari circa : administrationem sacramentorum, praedicationem verbi Dei, curam animarum et administrationem bonorum temporalium Ecclesiae.

1. Circa administrationem Sacramentorum

Non omnia sacramenta exigunt, ad validitatem, characterem sacerdotalem in ministro. Baptismus a quolibet, etiam infideli, administrari potest valide, et, in casu necessitatis, licite. Matrimonium administratur ad ipsis contrahentibus, proinde est unicum sacramentum cuius laicus est minister ordinarius. Administratio S. Communionis etiam non requirit in ministro aliquem ordinem ad validitatem, quia sacramentum jam est constitutum; et in casu necessitatis, uti tempore persecutionis, Ecclesia concedit etiam laicis facultatem eam administrandi, ut factum est pro Russia anno 1930 et pro Mexico anno 1935. Nullum aliud sacramentum potest a laicis valide administrari. Verum, aetate media, vigebat consuetudo peccata laicis confitendi quando confessarius sacerdos deerat, et plures theologi huic ritui quandam efficaciam sacramentalem attribuerunt. In *Supplemento Summae theologicae* legitur : « Respondeo dicendum quod, sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et poenitentia. Baptismus autem, quia est sacramentum necessitatis, duplum habet ministrum : unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem; alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur. Et ita etiam minister poenitentiae cui confessio est facienda ex officio, est sacerdos; sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet ut ei confessio fieri possit ».⁸⁵ Sed haec opinio mediaevalis hodie non sustinetur.

Ad functiones liturgicas quod attinet, plura possunt laicis committi, praesertim actus qui ordinibus minoribus respondent, qui de facto exercentur ab acolytis et sacristis. Stricte loquendo etiam munera quae

⁸⁴ *Codex Juris Canonici*, can. 118.

⁸⁵ *Supplm.*, q. 8, a. 2.

respondent Diaconatui et Subdiaconatui possunt laicis committi, ut in primis saeculis fiebat. Exemplum typicum hujus praxis antiquae habemus in institutione *diaconissarum*, quae multa ministeria perficiebant quae hodie solis sacerdotibus vel 'in sacris' constitutis licent. Sola disciplina ecclesiastica hoc nunc vetat. In locis vero missionum, ubi copia sacerdotum deest, etiam hodie catechistis rite designatis conceditur licentia exercendi multa ministeria sacra quae non sunt stricte sacerdotalia.

2. Circa verbi Dei praedicationem

Hic non agimus de privata doctrinae christiana traditione, quam qui libet potest et interdum debet facere, sed de publica et auctoritativa traditione doctrinae Ecclesiae. Haec evidenter pertinet ad hierarchiam, praesertim ad Episcopos, et participatur a sacerdotibus ad hoc munus approbatis. Quantum possunt laici de hoc participare? Certe non auctoritatem docendi nomine Ecclesiae; munus tamen docendi etiam publice potest illis committi ab auctoritate competenti. Scimus quomodo in primaeva Ecclesia laici, praesertim charismatici, praedicabant publice in ipsis ecclesiis. S. Paulus in sua prima Epistola ad Corinthios ordinem et modum determinat quo oporteat hujusmodi praedicationes procedere.⁸⁶ Non solum charismatici, sed et ceteri christifideles, data occasione, munus praedicationis exercebant: « Igitur, qui dispersi erant per transibant, evengelizantes verbum Dei ».⁸⁷ Sed in primitiva illa aetate, cum disciplina ecclesiastica nondum erat satis evoluta, haec fiebant non semper explicita commissione, sed tacita approbatione Apostolorum.

Post primum saeculum vero rarior evasit usus laicis committendi munus publicae praedicationis. Casus tamen hujus generis inveniuntur usque ad quartum saeculum: e. g., Origenes adhuc laicus invitatus fuit a quibusdam Episcopis ad praedicandum in eorum ecclesiis. *Constitutiones Apostolicae* haec habent: « Qui docet, quamvis laicus sit, modo peritus in sermone, ac morum probitate ornatus, doceat ».⁸⁸ Deinceps disciplina paulatim severior fit. Inter *Statuta Ecclesiae Antiqua* legitur: « Mulier quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non audeat »; « Laicus, praesentibus clericis, nisi ipsis probantibus, docere non audeat ».⁸⁹ Dein

⁸⁶ *I Cor* cc. 12 et 14.

⁸⁷ *Act* 8, 4.

⁸⁸ L. VIII, c. 32 (*PG*, 1, 1133).

⁸⁹ Can. 37 et 38 (num. ant. 99 et 98); ed. G. MORIN, *S. Caesari opera*, t. II, Maredsoli 1942, p. 93.

S. Leo omnem praedicationem formalem et officialem sacerdotibus reservavit : « Illud quoque dilectionem tuam convenit praecavere, ut praeter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi docendi et praedicandi jus audeat vindicare, sive ille monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiae nomine glorietur. Quia etsi optandum est ut omnes Ecclesiae filii quae recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi praedicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent ».⁹⁰

Saeculis XII et XIII denuo apparuerunt in Ecclesia quaedam 'mōvimenta' apostolica laicorum praedicatorum. Petrus Valdus et discipuli ejus incepertunt suas « Homiliae » in Italia septentrionali. Prohibitius ab Episcopo Lugdunensi, Valdus appellavit Alexandrum III; « Valdesium amplexatus est Papa, approbans votum quod fecerat voluntariae paupertatis, inhibens eidem ne vel ipse aut socii sui praedicationis officium praesumerent, nisi rogantibus sacerdotibus... ».⁹¹ Abusibus ingruentibus, haec species praedicationis fuit iterum prohibita sub Lucio III. Tandem die 7 junii 1201, Innocentius III quoddam compromissum effecit his verbis : « ... Singulis diebus dominicis ad audiendum Dei verbum in loco idoneo convenire, ubi aliquis vel aliqui fratum probatae fidei et expertae religionis, qui potentes sint in opere et sermone, licentia diocesani episcopi verbum exhortationis proponent iis qui convenerint ad audiendum verbum Dei, monentes et inducentes eos ad mores honestos et opera pietatis, ita quod de articulis fidei et sacramentis Ecclesiae non loquantur. Prohibemus autem ne quis Episcopus contra praescriptam formam impeditat hujusmodi fratres verbum exhortationis proponere, cum secundum Apostolum non sit Spiritus extinguendus ».⁹² Ipsemet Innocentius III, anno 1210, eamdem facultatem concessit « clericis et laicis » communitatis Bernardi Primavallensis. In approbando regulam S. Francisci, idem Pontifex concessit Francisco et Fratribus rite examinatis et approbatis facultatem publice praedicandi in ecclesiis.⁹³

Tandem, Reformatio Protestantica, cum suis falsis ideis de competentia laicorum ad ministeria sacra, induxit Ecclesiam ad strictiorem reddendam suam disciplinam circa praedicationem laicorum. Praescripta

⁹⁰ *Epist.*, 119 : ad Maximum Antiochenum, 6 (*PL* [Garnier], 54, 1045-1046).

⁹¹ Apud Anonymum Laudunensem, cit. ap. P. MANDONNET, *Ordo de Poenitentia*, Paris 1897, p. 304.

⁹² TIRABOSCHI, *Vetera humiliatorum monumenta*, t. II, pp. 133-134.

⁹³ Cf. YVES M.-J. CONGAR, *Jalons pour une théologie du laïcat*, ed. 2, Paris 1954, pp. 415-419.

Codis Juris Canonici principalia haec sunt : « Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis pro suis dioecesibus » (can. 1327, § 1); « Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missio nem receperit, facultate peculiariter data, vel officio collato cui ex sacris canonibus praedicationis manus inhaereat » (can. 1328); « Concionandi facultas solis sacerdotibus vel diaconis fiat, non vero ceteris clericis, nisi rationabili ex causa, judicio Ordinarii et in casibus singularibus » (can. 1342, § 1); « Concionari in ecclesia vetantur laici omnes, etsi religiosi » (can. 1342, § 2). Ergo laici vetantur praedicare in ecclesia; sed extra ecclesiam possunt religionem docere, etiam publice, ex speciali missione a legitimo Superiore ecclesiastico facta : « Parochus in religiosa puerorum institutione potest, imo, si legitime sit impeditus, debet operam adhibere clericorum in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium ‘doctrinae christiana’ aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint » (can. 1333, § 1). Hujusmodi participatio in munere docendi Ecclesiae et missio canonica competit catechistis rite designatis et professoribus Universitatum et Facultatum pro scientiis sacris approbatarum. Const. apost. *Deus Scientiarum* haec praescribit : « Ut quis in Professorum Collegium legitime cooptetur, requiritur ut [...] missio nem canonicam docendi, post impetratum *nihil obstat* Sanctae Sedis, a Magno Cancellario acceperit ».⁹⁴

3. Circa curam animarum

Deficiente clero, aliquando necesse fit committere aliqua munera curae animarum laicis.⁹⁵ Ut superius ubi de munere docendi indicatum est, hic etiam dum loquimur de participatione laicorum in cura animarum, non agitur de jurisdictione in animas, sed solum de exercendis quibusdam actibus curae animarum ex commissione. Nec est quaestio de cura spirituali puerorum a parentibus et tutoribus exercenda, sed de participatione in cura proprie pastorali animarum quae ad heirarchiam pertinet. Ipsos Apostolos, in casu necessitatis, aliqua

⁹⁴ Const. apost. « *Deus scientiarum* », 14/5/1931, art. 21 (*AAS*, 23 [1931], p. 251).

⁹⁵ In Ordinibus et Congregationibus religiosis non clericalibus, Superioribus viris et feminae, ex commissione Ecclesiae, vere exercent curam et regimen animarum quoad multa; sed dei is hic non agimus cum non sint laici proprie dicti sesu superioris explicato.

munera pastoralia laicis probatis commississe erui licet ex Epistolis S. Pauli : « Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanae, et Fortunati, et Achaici : quoniam sunt primitiae Achaiae, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos : ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in praesentia Stephanae et Fortunati et Achaici : quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleverunt : refecerunt enim meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt ».⁹⁶ Casus hujusmodi contingunt etiam hodie in dissitis missionibus quas sacerdos missionarius frequenter visitare nequit. Ibi catechista, a Superiori ecclesiastico rite constitutus, vices gerit pastoris in omnibus exceptis muneribus stricte sacerdotalibus, vel clericis in sacris reservatis : ipse baptizat, assistit matrimonii, visitat infirmos et moribundos, funeralia dicit, diebus dominicis et festivis fidelibus in ecclesiam convocatis legit Evangelium, facit exhortationem, preces communes dirigit, catechizat. Anno 1942, auctoritas ecclesiastica in Urundi (Africa) imposuit fidelibus illius missionis obligationem « sub gravi » assistendi hisce coetibus dominicalibus a catechistis directis. Etiam in Concilio Plenario Indiae (1950) fuit haec quaestio discussa, sed Patres noluerunt imponere hanc obligationem « sub gravi ». Pius XII in memorata allocutione ad Secundum Congressum Internationalem Apostolatus laicorum, laudat munus catechistarum in missionibus ut formam quamdam ‘ maxime classicam ’ apostolatus laicorum, adjungens quod in aliquibus missionibus unus missionarius sex catechistis comitatus pluris habetur quam septem missionarii sacerdotes.⁹⁷

4. Circa administrationem bonorum temporalium Ecclesiae

Circa bona temporalia Ecclesiae (vel dioecesis, paroeciae etc.) hoc principium fundamentale est tenendum : bona illa pertinent ad Ecclesiam, non ad fideles collective. Ecclesia enim est Institutio ‘ a priori ’ quae sibi aggregat fideles, non collectivitas ‘ a posteriori ’ ex unione

⁹⁶ *I Cor* 16, 15-18.

⁹⁷ « Un mot de l'emploi des catéchistes. L'Asie et l'Afrique comptent, pour un milliard et demi d'habitants, quelques 25 millions de catholiques, avec 20 à 25.000 prêtres et 74.000 catéchistes. Si l'on ajoute à ce nombre les enseignants, qui sont souvent les meilleurs catéchistes, on arrive à 160.000. Le catéchiste représente peut-être le cas le plus classique de l'apostolat laïc par la nature même de sa profession et parce qu'il supplée au manque de prêtres. On estime parmi les missionnaires d'Afrique du moins, qu'un missionnaire accompagné de 6 catéchistes obtient plus que 7 missionnaires » (*AAS*, 49 [1957], p. 937).

individuorum resultans. Hinc jus administrandi bona ejus pertinet ad auctoritatem ecclesiasticam, ad Papam pro tota Ecclesia, ad Episcopos et eorum delegatos pro dioecesibus etc. Idea ergo communis proprietatis vel communis juris administrationis est omnino eliminanda. Ut instrumenta tamen administrationis, laici possunt cooptari, imo oportet eos sic cooptare, tum quia illi magis experti sunt administrationis temporalium, tum et praesertim quia temporalium cura nimis clerum a suo ministerio spirituali distrahit : « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis ».⁹⁸

Saeculis III et IV, extitisse videtur, saltem in Africa, quaedam species Synedrii vel Concilii Seniorum laicorum administrationi bonorum ecclesiae deditorum; sed institutio illa non multum duravit. Aetate media, saeculis praesertim X et XI, multae ecclesiae fuerunt fundatae et dotatae a laicis qui proinde jura patronatus in eas acceperunt; quod non fuit sine gravibus incommodis Ecclesiae. Plerumque enim ipsi patrini se gesserunt non solum ut administratores bonorum sed ut proprietarii, imo se immiscuerunt administrationi spirituali ecclesiarum, cappellanos nominando, amovendo, ordinem functionum sacrarum praescribendo etc. Unde coacta fuit Ecclesia defendere sua jura et clarius definire naturam et limites administrationis bonorum laicis commissae.

Praescripta *Codicis Juris Canonici* hac de re sunt principaliter haec sequentia : « Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator » (can. 1518); « Loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex ejus jurisdictione fuerint subducta, salvis legitimis praescriptionibus quae eidem potiora jura tribuant » (can. 1519, § 1); « Quod si laicis partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum vel ex legitimo foundationis seu erectionis titulo vel ex Ordinarii loci voluntate competant, nihilominus universa administratio nomine Ecclesiae fiat, ac salvo jure Ordinarii visitandi, exigendi rationes, et praescribendi modum administrationis » (can. 1521, § 2); « Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis aut loci pii canonice electi aut confraternitatis, singulis annis officio tenentur reddendi rationem administrationis Ordinario loci » (can. 1525, § 1); « Si alii quoque, sive clericisive laici, in administrationem bonorum alicujus ecclesiae cooptentur, iidem omnes una cum administratore ecclesiastico, de quo in can. 1182 aut ejus vicem gerente, eoque praesidente, constituunt Consilium fabri-

⁹⁸ *Act* 6, 2.

gulos praelatos ecclesiarum in Domino hortatur et illis praecipit, ut, quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae dioecesis, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queat, hujusmodi functiones curent restituendas... Quodsi ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici coelibes praesto non erunt, suffici possunt etiam conjugati vitae probatae, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ».¹⁰³ Sed haec vota Concilii numquam effectum sortita sunt.

Ratio principalis quae plures ad desiderandam reactivationem horum ordinum inducit est penuria vocationum ad sacerdotium, quae in dies gravior evadit. Facilius invenirentur candidati apti et volentes ad haec ministeria non-sacerdotalia quae non exigunt tot dotes spirituales et tam diuturnam praeparationem theologicam. Hinc apud quosdam Ordines monasticos ortum esse dicitur quidam 'motus' ad conferendos ordines minores fratribus conversis et laicis coadjutoribus.¹⁰⁴ In Congressu Internationali de re Pastorali et Liturgica, Assisiis mense sept. 1956 habito, Mgr. Wilhelm van Bekkum. S. V. D., Vic. Ap. Ruteng in Indonesia, longum habuit sermonem de peculiaribus indigentibus missionum in re liturgica, inter quas mentionem fecit etiam de necessitate reactivandi diaconatum et alios ordines sacerdotio inferiores, quia, ait, desunt sacerdotes in plurimis locis missionum et vita religiosa populorum propterea languescit.¹⁰⁵

¹⁰³ *Concilium Tridentinum...*, ed soc. Goerresiana, t. IX, Friburgi Brisgoviae 1924, pp. 627-628.

¹⁰⁴ Scribit H. R. PHILIPPEAU : « Un mouvement se dessine pourtant, au sein de quelques groupements monastiques ou canoniaux : Trappe, Prémontré, pour la collation des ordres mineurs à des convers ou coadjuteurs laïcs, députés au service pratique de la liturgie. Ce mouvement pourra-t-il gagner jusqu'aux groupes de grands clercs et d'employés d'église ? L'avenir le dira. Qu'il nous suffise d'en avoir marqué les attaches traditionnelles et juridiques.

Notons sur ce point que, pour augmenter le prestige des indispensables auxiliaires laïcs du clergé missionnaire en pays infidèle, une récente décision de la Propagande autorise certains d'entre eux à recevoir les ordres mineurs et à les exercer dans les réunions cultuelles, sans exiger pour autant qu'ils renoncent au mariage et à la vie conjugale, ni qu'ils aspirent dans l'avenir aux ordres sacrés. C'est un pas considérable dans le sens indiqué à Trente et si bien oublié depuis » (*Les ordres mineurs*, in *La vie spirituelle. Supplément*, 10 [août 1949], pp. 176-177).

Quoad secundam assertionem, scil. quod S. Congr. de Propaganda Fide indulserit ut in terris missionum aliqui laici cooperatores ordinentur in minibus, dicendum quod, facta diligent inquisitione apud ipsam S. Congregationem, non potuimus invenire ullum fundamentum cui innitatur illa assertio.

¹⁰⁵ Cf. *The Liturgical Revival in the Service of the Mission*, in *The Assisi Papers...*, Collegeville (Minn) 1957, pp. 110-111 : oratio habita lingua germanica reproducitur lingua anglica.

Alia utilitas quam aliqui vident in reactivatione praesertim diaconatus consistit in fructificatione vocationum tardivarum quarum subjecta propter aetatem provectionem non valent ardua subire studia ad sacerdotium necessaria. In ordine diaconatus libenter se dedicarent servitio Dei et animarum, et possent esse optimi coadjutores sacerdotum in cura animarum, administratione sacramentorum, sed praesertim in administratione bonorum temporalium ecclesiae quae ultima fuit specialis ratio institutionis diaconatus ut ex Actibus constat.

Qui laborant pro conversione ecclesiarum protestanticarum vident in diaconatu optimam solutionem problematis «Pastorum» convertendorum. Utpote familiis onerati non possunt ad sacerdotium admitti; sed reduci ad statum mere laicalem esset illis nimis odiosum. Aliunde sunt plerumque optimis dotibus ornati viri. In diaconatu possent magnum servitium reddere Ecclesiae et suum statum ut prius conservare.

Demum non desunt aliqui qui desiderent ut principales officiales Actionis Catholicae ditentur aliquo ordine minori. Per mandatum enim, arguunt, jam activitas eorum publici juris in Ecclesia facta est, et ipsi quodammodo agunt nomine Ecclesiae; decent ergo ut aliqua potestas spiritualis etiam communicetur illis.

Observationes.

Cum quaestio haec non sit tam simplex uti prima facie apparere potest, ad praecavendas confusiones idearum sequentes proponimus considerationes :

I) De ipsa terminologia potest quaestio moveri : si laici ordinantur in minoribus, eruntne amplius laici? Ad hoc respondemus distinguendo : ratione ordinis et muneris quidem erunt clerici, ratione vero modi vitae erunt laici. Ut superius indicavimus, clerici distinguuntur a laicis non solum ratione ordinis, sed etiam ratione habitudinis vitae, sc. renunciationis mundi, quod in supposito nostro illi laici ordinati in minoribus non tenerentur facere. Status eorum erit analogus statui membrorum Institutorum Saecularium, quae personae sensu quidem theologico sunt religiosi, sensu vero juridico laici. Nihil impedit quominus eadem ratio quae induxit Ecclesiam ad instituendos illos religiosos saeculares inducat eam etiam ad permittendos laicos clericales ; quo in casu ipsi constituent categoriam aliquam medium tenens inter clericum et laicum, radices ut ita dicamus hierarchiae penetrantes massam fidelium. Sed, ut

sapienter admonuit Pius XII in sua pluries memorata allocutione, nondum est matura idea nec tempus oportunum.¹⁰⁶

2) Specialiter notandum quod hic quaestio non est de augendo ambitu apostolatus laicorum, sed de amplificando apostolatu hierarchiae et de ipsa hierarchia ex omni parte activanda. «Ex divina institutione, sacra Hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris»;¹⁰⁷ nunc vero tertia haec categoria ministrorum quasi ineffectiva manet : est ejusdem plena activatio quod hic quaeritur. Et si aliquando reactivabitur, pertinebit ad hierarchiam, ut Summus Pontifex superius indicavit. Ad Actionem Catholicam quod attinet, ipsa est activitas proprie laicorum quamquam sub immediata directione hierarchiae assumpta et speciali mandato munita; unde non apparet quare ordines minores desiderentur pro membris ejus, nisi aliqui eorum specialiter deputentur ad ministeria ecclesiastica, et tunc hoc erit non ratione Actionis Catholicae sed aliunde. Apostolatus laicorum fundatur proprie in gratia et charactere Baptismatis et Confirmationis.

3) Reactivatio ordinum sacerdotio inferiorum non necessario secum fert dispensationem a coelibatu; et in casu ordinum majorum omnino inconveniens foret renunciare coelibatu. Hinc religiosi laici et membra Institutorum Saecularium aptiores videntur candidati ad ordines maiores : in membris Institutorum insuper habemus coelibatum unitum modo vitae omnino saeculari et laicali, quod aliquibus in adjunctis adhuc aptiores candidatos eos reddere potest. Respectu ordinum minorum, certe minor est haec exigentia coelibatus ; unde Tridentinum, de restauratione horum ordinum agens, indulxit ut in casu necessitatis ad quatuor ordines minores admittantur etiam conjugati (dummodo non bigami) ad ea munia obeunda idonei, qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent.¹⁰⁸ Aliunde non erit facile invenire homines qui, non

¹⁰⁶ «Nous n'avons pas considéré jusqu'ici les ordinations qui précèdent la prêtre et qui, dans la pratique actuelle de l'Eglise, ne sont conférées que comme préparation à l'ordination sacerdotale. L'office attaché aux ordres mineurs est depuis longtemps exercé par des laïcs. Nous savons qu'on pense actuellement à introduire un ordre du diaconat concu comme fonction ecclésiastique indépendante du sacerdoce. L'idée, aujourd'hui du moins, n'est pas encore mûre. Si elle le devenait un jour, rien ne changerait à ce que Nous venons de dire sinon que ce diaconat prendrait place avec le sacerdoce dans les distinctions que nous avons indiquées» (*AAS*, 49 [1957], p. 925).

¹⁰⁷ *Codex Juris Canonici*, can. 108.

¹⁰⁸ Cf. supra nota 103.

habentes vocationem sacerdotalem vel religiosam, prompti tamen sint ad amplectendum onus coelibatus et perpetuae renunciationis mundi unice propter ministeria ordinum minorum.

B. Actio Catholica

Incipientes agere de apostolatu laicorum proprie dicto, primum locum concedimus *Actioni Catholicae* quae est forma quaedam auctoritative organizata ipsius apostolatus laicorum. Primum hic exponimus naturam Actionis Catholicae prout hucusque concipiebatur, dein indicamus quasdam modificationes in ipso conceptu Actionis Catholicae et organizatione ejus quas desiderabiles indicavit Summus Pontifex in sua recenti allocutione.

Ut jam superius explicavimus, apostolatus laicorum non est ex sua natura institutio organica et publici juris ut apostolatus hierarchiae; est privatus ex initiativa individuorum dependens, et ut talis semper existit in Ecclesia et fructus praeclaros protulit. Sed tempora moderna, propter fatalem societatis civilis ab Ecclesia alienationem, exigunt non solum intensificationem apostolatus laicorum, sed etiam maiorem ejusdem cum activitate hierarchica coordinationem. Omnes recentes Summi Pontifices, inde a Pio IX, non solum hanc exigentiam agnoverunt sed multum adlaborarunt ad organizandum apostolatum laicorum in forma aliqua efficaciori. Pius IX censendus est inaugurator ideae modernae Actionis Catholicae, ut ipse Pius XI fatetur in allocutione diei 3 nov. 1928. Durante ejus pontificatu variae associationes apostolatus laicalis fuerunt institutae: e. g., *Piusverein* in Helvetia, *Katholischerverein* in Germania, *Asociacion de Laicos* in Hispania, *Union Catholique* in Belgio, *Ligue Catholique pour la défense de l'Eglise* in Gallia, *Catholic Union* in Anglia. Plurimae erant etiam associationes hujus generis in Italia quae fuerunt omnes inter se coordinatae anno 1874 sub *Opere dei Congressi*. In diversis suis instructionibus Pius IX sat clare et complete adumbravit delineamenta essentialia modernae Actionis Catholicae.

Leo XIII, praedecessoris sui ideam amplexus, eam adhuc elaboravit. In sua Encyclica *Graves de Communi* diei 18 jan. 1901, haec de organizandis operibus apostolatus laicorum scripsit: «Atque ista catholicorum actio, qualiscumque est, ampliore quidem cum efficacitate procedet, si consociationes eorum omnes, salvo suo cujusque jure, una eademque primaria vi dirigente et movente processerint. Quas ipsis partes in

Italia volumus praestet institutum illud, a Congressibus coetibusque catholicis, saepenumero a Nobis laudatum : cui et Decessor Noster et Nosmetipsi curam hanc demandavimus communis catholicorum actionis, auspicio et ductu sacrorum Antistitum, temperandae. Item porro fiat apud nationes ceteras, si quis usquam ejusmodi est praecipuus coetus, cui id negotii legitimo jure sit datum ».¹⁰⁹

Terminus *Actio Catholica* vim et sensum sibi proprium obtinuit ex ejus frequenti usurpatione a S. Pio X. Die 11 junii 1905, publicavit hic Sanctus Pontifex suum documentum de Actione Catholica sub titulo *Il fermo Proposito* in quo haec inter alia dicit : « Perlatus est actionis catholicae campus, quae ex sese nihil omnino excludit quod, quocumque modo, directe aut indirecte, ad divinam Ecclesiae missionem pertineat [...] Vos optime nostis, Venerabiles Fratres, quo auxilio sint Ecclesiae illae catholicorum electae acies, quae hoc unum sibi propo- nunt omnes suas vividas vires insimul unire, ad civilitatem antichristianam omnibus mediis justis et legitimis debellandam; ad Jesum Christum iterum ducendum in familiam, in scholam, in societatem; ad restabi- liendum principium humanae auctoritatis tamquam vices gerentis auctoritatis Dei; ad res populi ac praesertim operarii et agricoli coetus sum- mopere curandas, non tantum in omnium cordibus principium religio- nis infundendo, unicam veram fontem consolationis in augustiis vitae, sed lacrimas eorum tergere, poenas lenire, oeconomicam conditionem peroportunis remediis in melius vertere adlaborando, ideoque ad obti- nendum quo publicae leges justitia informentur, atque corrigantur aut supprimantur quae justitiae adversantur : demum ad defendenda ac susti- nenda in omnibus animo vere catholico jura Dei ad jura non minus sa- cra Ecclesiae [...] Quo vero tutius haec obtineantur, inter varia opera laude pariter digna, alibi habita est apprime efficax quaedam institutio indolis generalis, quae nomine *Unionis Popularis* tendit ad catholicos cujusque gradus socialis in unum colligendos, praesertim vero innumeratas populi multitudines apud unum commune centrum doctrinae diffusionis atque socialis ordinationis ».¹¹⁰

Etiam Benedictus XV, non obstantibus angustiis temporum inter quas rexit Ecclesiam, pluries de actione catholica in suis Epistolis et Allocutionibus egit, ejusque majori efficacie consuluit instituendo organi- nismum quemdam nomine « Giunta Direttiva dell'Azione Cattolica ».

¹⁰⁹ Leonis XIII P. M. acta, t. 21, Romae 1902, p. 17.

¹¹⁰ Textum offerimus juxta versionem officialem latinam ex *Acta Sanctae Sedis* 37 (1904/5), pp. 744, 747-748, 755 ; cf. Pii X P. M. acta, t. 2, Romae 1907, pp. 114, 117-118, 122-123.

Sed Pius XI hoc magnum opus a suis praedecessoribus tam sollicite praeparatum ad finem usque perduxit coronavitque. Ipse dedit Actioni Catholicae ejus physiognomiam juridicam et valorem publicum in Ecclesia. Apostolatus laicorum qui semper fuit activitas privata ab individuis nomine proprio exercita, sic evasit activitas publica, organizata, et nomine Ecclesiae exercita, ut fusius in paragraphis sequentibus explicabitur. Pius XI Actionem Catholicam pupillam sui oculi nuncupavit eique se dedicavit tamquam praedilecto operi sui pontificatus : fere 600 documenta pontificia hanc ejus sollicitudinem testantur, quorum ultimum prodiit pridie mortis ejus.

Successor ejus non minorem in hac re sollicitudinem prodit, qui et adhuc clariorem reddidit notionem Actionis Catholicae, et fere in omnibus suis Litteris et Allocutionibus eamdem collaudat et commendat. Declarationes authenticas horum duorum Pontificum oportune in cursu hujus tractatus adducemus.

Definitio Actionis Catholicae

Pius XI in epistola ad Card. Bertram, diei 13 nov. 1928, haec de natura Actionis Catholicae habet : « [...] quae si recte perpendantur, apparet Actionem Catholicam alio non spectare, nisi ut laici apostolatum hieraticum quodammodo *participent*. Neque enim Actio Catholica in eo tantum consistit, ut homines suae cujusque christianaे perfectioni studeant, quod primarium est atque praecipuum, sed etiam in verissimo apostolatu catholicis cujusque ordinis communi, quorum sensus atque opera cum iis quibusdam quasi centris sanae doctrinae et multiplicis actuosique laboris, cohaereant, quibus rite legitimeque constitutis Episcoporum demum *adest ac suffragatur auctoritas*. Christifidelibus igitur, qui sic coiverint atque in unum coaluerint, ut ad nutum hierarchiae ecclesiasticae praesto sint, sacra ipsa hierarchia quemadmodum *mandatum impertit*, sic incitamenta et stimulus adjicit. Jamvero, haud aliter ac mandatum Ecclesiae divinitus commissum, ipsiusque hierarchiae apostolatus, Actio ejusmodi non externa prorsus sed spiritualis, *non politica sed ' religiosa ' dicenda est* ».¹¹¹

In hac authentica descriptione Actionis Catholicae aliquas phrases *typis italicis* indicavimus cum speciali studio dignae sint; sunt enim elementa essentialia notionis Actionis Catholicae secundum mentem Pii XI. Pauca ergo trademus de singulis : 1) quid intendatur « partici-

¹¹¹ *Epist. a Quac nobis* » (*AAS*, 20 [1928], p. 385).

patione laicorum in apostolatu hierarchiae»; 2) quid intelligatur per «mandatum»; 3) qualis sit pars hierarchiae in hoc genere apostolatus laicorum; 4) quales, ambitus et limites Actionis Catholicae; 5) utrum Actio Catholica adaequet integrum Apostolatum laicorum; 6) conceptus Actionis Catholicae iuxta Pium XII.

1. «*Participatio*» vel «*collaboratio*»?

In famosa sua definitione Actionis Catholicae, Pius XI eam vocat «participationem laicorum in apostolatu hierarchiae»; quam definitiōnem plures repetit, e. g. in epistola ad Card. Bertram superius citata, ad Card. Gasparri diei 24/1/1927, ad Episcopatum Columbianum diei 14/2/1934, in Allocutione ad Seminaristas Romanos habitō die 12/3/1936, ad Puellas Actionis Catholicae Italiae die 19/3/1937 etc. Et non semel asseruit se hanc definitionem concepisse non sine aliqua illuminatione divina, eamque esse definitionem adaequatam omnia elementa rei definitiōnē continentem.¹¹²

Aliis vero occasionibus ipsemet Pius XI adhibuit terminos «*collaboratio*» et «*cooperatio*» ut synonyma termini «*participatio*». Sic in sua Epistola ad Episcopatum Columbianum ipse loquitur de necessitate «adjutricis illius christifidelium navitatis, quam non sine divino instinctu ediximus laicorum hominum 'participationem' hierarchici Ecclesiae apostolatus»;¹¹³ peregrinos Actionis Catholicae Juventutis Femininae alloquens die 6 apr. 1934, dixit quod «*Actio Catholica est participatio seu collaboratio laicorum in apostolatu hierarchiae*»; item alloquens Quartum Congressum Internationalem Juventutis Catholicae, vocat Actionem Catholicam *cooperationem* laicorum in apostolatu hierarchiae.

Pius XII parce utitur termino «*participationis*», praefert «*collaborationem*» et «*cooperationem*». Mgr. Dubourg, Archiepiscopus Bisuntinus scribens in *La Croix*, 13 dec. 1947, post audientiam cum Pio XII, dicit quod ratio hujus preferentiae est quod verbum «*collaboratio*» melius exprimit distinctionem inter partem laicatus et partem hierarchiae in apostolatu, quia laici habent activitatem apostolicam propriam suam quae non oportet diminui vel confundi cum ea hierarchiae. Eadem explicationem dat Card. Piazza, Praeses Commissionis Episcoporum

¹¹² Cf. *Epist. «Observantissimas litteras accepimus»*, ad episcopatum Columbianum, 14/2/1934 (*AAS*, 34 [1942], p. 248): «... non sine divino instinctu ediximus...»; alia apud L. CIVARDI, *Manuale di Azione Cattolica*, ed. 12, Roma 1952, pp. 24-25.

¹¹³ Cf. supra nota 112.

pro Actione Catholica Italiae ut rationem substitutionis termini « collaborationis » loco « participationis » in novis statutis Actionis Catholicae Italiae.¹¹⁴

Haec diversitas terminologiarum SS. Pontificum diversitati opinionum inter auctores ansam dedit. Aliqui theologi, ut P. Dabin, credunt definitionem Pii XI esse «pure theologicam» et verba «participatio in apostolatu hierarchiae» debere assumi in sensu stricto et pleno, imo Actionem Catholicam fundari in quadam convertibilitate harum duarum activitatium, hierarchiae scilicet et laicorum.¹¹⁵ Secundum J. Leclercq, «Actio Catholica jam facta est officialiter, unum ex elementis constitutivis Ecclesiae».¹¹⁶ Non desunt auctores qui credant hanc «participationem» importare etiam quamdam communicationem potestatis hierarchiae.

Contra hujusmodi exaggerationes, Episcopi Germaniae in Conferentia habita Fuldae anno 1933, hanc fecerunt declarationem : «Actio Catholica est participatio in apostolatu hierarchiae, sed non in hierarchia ipsa». Huic similem declarationem fecerunt etiam Cardinales et Archiepiscopi Galliae mense Martio 1946. Nimis exaggerata interpretatio termini «participationis» videtur esse ratio quare Pius XII eum cautevit in suis pronunciationibus.¹¹⁷

Ex altera parte non desunt pessimistae qui vident in Actione Catholica nihil nisi nomen inane, vel, quod pejus est, quamdam speciem clericalismi dissimulati. H. Urs von Balthasar in suo opere *Der Laie und der Ordensstand* (Einsiedeln 1949) acriter damnat Actionem Catholicam ut quamdam institutionem artificialem, arbitrarie creatam ab auctoritate suprema, nihil positive significantem nisi desperatum conatum cleri ad continuandam suam dominationem in laicos et ordinem saecularem. E. Michel eamdem ideam adhuc fortius exprimit : associatio laicorum in Actione Catholica, secundum illum, est quaedam hybrida creatio clericalismi moderni conantis se liberare a suo 'ghetto' adjutorio horum intermediorum, sed eos quoque secum trahentis in illud.¹¹⁸

Ad meliorem clarificationem hujus nodosae quaestionis sequentes proponimus considerationes :

a) *Actio Catholica* in sua essentia generica, i. e. ut apostolatus laicorum, non est nova creatio Ecclesiae, ut pluries asseruit ipsem Pius XI;

¹¹⁴ Cit apud R. SPIAZZI, *La missione dei laici*, Roma 1952, p. 234.

¹¹⁵ *L'apostolat laique*, Mayenne 1931, p. 82.

¹¹⁶ *Essai sur l'Action catholique*, Bruxelles 1929, p. 42.

¹¹⁷ Cf. YVES M.-J. CONGAR, *Jalons pour une théologie du laïcat*, ed. 2, Paris 1954, p. 510.

¹¹⁸ Cf. G. PHILIPS, *Le rôle du laïcat dans l'Eglise*, Parigi 1954, pp. 154-155.

sed in sua forma specifica et organica est quid novum. Per hanc formam organicam Ecclesia elevat apostolatum laicorum ex sua naturali conditione privata et individuali, ad planum officiale et publicum. Haec coordinatio et organizatio apostolatus laicorum non est conatus clericorum ad praescribendum normas operationi Spiritus Sancti, ut quidam accusatores contendunt, sed manifesta operatio ipsius Spiritus Sancti sese exigentius temporum accommodantis. Ceterum, hujusmodi organizatio officialis non absorbet totam activitatem apostolicam laicorum: restat semper tota libertas apostolatus individualis uti prius.

b) Sed Actio Catholica non solum coordinat activitates apostolicas individuorum laicorum inter se, sed totum hoc integrat cum apostolatu hierarchiae, vel inserit in eum. Haec insertio et integratio non est intelligenda ut confusio vel conversio unius in alterum: uterque apostolatus manet distinctus et in propria sua natura, sed ita mutuo uniuntur et coordinantur ut faciant unam seriem, ut ita dicamus, et unus fiat continuatio et complementum alterius. Ergo hic non est communicatio potestatis vel activitatis hierarchiae cum laicis; neque est assumptio activitatis laicorum ab hierarchia instrumentalitate laicorum; sed utriusque activitatis, in suo cujusque campo remanentis, unio et integratio ad unum apostolatum Ecclesiae constituendum.

c) Quo termino melius exprimitur haec integratio apostolatus laicorum in apostolatum hierarchiae: termino « participationis » vel « collaborationis »? Fatendum imprimis quod duo hi termini inter se non opponuntur, solum ab invicem differunt ratione accentus quem asportant ideae, unus unam partem ideae melius in luce ponens, alter aliam. Mutuo ergo se complent. Sic « participatio » optime exprimit intimitatem unionis inter utrumque apostolatum. Quam intima sit haec unio et quam essentialis ad conceptum Actionis Catholicae eruitur ex verbis Pii XI qui, Associationes Catholicas Romae alloquens die 19 aprilis 1931, dicebat quod Actio Catholica perdet totam suam rationem essendi si per momentum quidem obscurentur haec ideae fundamentales et quantumvis parum relaxetur hoc *vinculum essentiale* quod unit Actionem Catholicam cum hierarchia. Sed oportet etiam prae oculis habere autonomiam Actionis Catholicae, quia apostolatus laicorum quantumvis intime unitus apostolati hierarchiae, semper tamen versatur in campo proprio suo, ut optime notat Pius XII. Hinc accedit terminus « collaboratio » magis in autonomiam insistens. In definiendo ergo relationem Actionis Catholicae cum apostolatu hierachico, uterque hic aspectus debet aequa-

praevalere; est enim quaedam unio sui generis, quaedam fusio sine confusione, quae expectat clariorem expressionem ex profundiori studio theologorum et juristarum. Interim vero « integratio » nobis videtur terminus practice utilis.

2. *Quid importet « mandatum »?*

Pius XI in Epistola ad Card. Bertram : « Christifidelibus igitur, qui sic coiverint atque in unum coaluerint, ut ad nutum hierarchiae ecclesiasticae praesto sint, sacra hierarchia quemadmodum *mandatum* imperit, sic incitamenta et stimulus adjicit ».¹¹⁹ Haec expressio in numerosis ejus documentis invenitur. Pius XII quoque pluries *mandati* mentionem facit. En nodus alter controversiae. Quo sensu accipiendum verbum « *mandatum* »? Quid positivum communicatur Actioni Catholicae per hujusmodi *mandatum*?

Pauci sunt qui « *mandatum* » nihil importare dicunt; fere omnes admittunt esse aliquid positivum hoc termino indicatum. Juxta aliquos *mandatum* significat canonicam missionem in sensu stricto, conferentem mandatario aliquam partem potestatis hierarchiae. Sic Zacharias de Vizcarra, Assistens Ecclesiasticus Actionis Catholicae Hispaniae tenet directores et membra Actionis Catholicae per *mandatum canonicum* recipere potestatem necessariam ad participandum officialiter activitatem executivam apostolatus hierarchiae et addit hanc potestatem collatam esse participationem potestatis jurisdictionis ipsius hierarchiae.¹²⁰ M. V. Pollet eamdem sententiam extremam tenuit : « *Actio Catholica* non est tantum collaboratio aut cooperatio cum hierarchia, sed vera participatio potestati, auctoritati, demum mandato hierarchiae. Haec autem participatio, cum *mandatum* respiciat, per viam commissionis vel delegationis fieri videtur [...] Addendum Actionem Catholicam munus hierarchicum participare sub ratione magisterii, equidem *ordinarii* magisterii [...] non ergo proprie ac directe sub ratione potestatis ordinis aut jurisdictionis »;¹²¹ item : « Necessae est enim participans et participatum aliqua formalitate communicare, quam quidem *mandatum apostolicum* esse existimamus. Est enim prorsus unum atque idem *mandatum*, quod prius

¹¹⁹ *AAS*, 20 (1928), p. 385.

¹²⁰ *Curso de Acción Católica*, Madrid 1947, nn. 49, 50 et 52. Nota tamen quod ab editione tertia et deinceps auctor multum mitigavit suam sententiam.

¹²¹ *De Actione Catholica principia theologiae thomisticæ dilucidata*, in *Angelicum*, 13 (1936), p. 456, nota 1 (paginae praecedentis).

ab Apostolis acceptum, dein ad hierarchiam divino jure translatum est ibique mansit, donec, Spiritu Sancto per Romanum Pontificem sic disponente, ad laicos usque quadam communicatione vel delegatione pervenerit ».¹²² Haec ultima sententia nimis insolita et improbabilis videtur, quasi hierarchia per viginti fere saecula sibi reservaverit aliquam potestatem omnibus christifidelibus destinatam. Mandatum Christi quantum ad omnes fideles spectat semper quidem fuit in actu et operativum, sed Ecclesia exigentiis temporum consulens suum quoque mandatum eidem superaddit, quod non mutat naturam essentialiem apostolatus laicorum sed eidem conciliat novam formam externam.

Alii auctores e contra terminum « mandatum » non accipiunt sensu juridico ut collatio alicujus potestatis, sed sensu ordinario litterali, scil. ut praeceptum, voluntas, norma etc. Sic Arturo Lobo in opere *Que es y qué no es la Acción Católica*, dicit quod Actionem Catholicam recipere mandatum hierarchiae nihil aliud sibi vult quam recipere directionem et orientationem, et esse directe et immediate subjectam hierarchiae sicut et aliae associationes quae recipiunt ab hierarchia praecepta, consilia, incitamenta, stimula, normas etc. Secundum J. Sabater March. « mandatum » in documentis Pii XI potest accipi ut synonymum pro « voluntate beneplaciti ».¹²³ Eadem est sententia Eduardi Ragatillo, qui asserit quod in mente Pii XI hoc verbum « mandatum » habet sensum ordinarium praecepti, normae vel voluntatis Ecclesiae.¹²⁴

Nobis videtur tota difficultas oriri ex eo quod juristae in genere, sive qui « mandato » tribuunt sensum canonicum sive qui negant illum, volunt rigide reducere omnia ad species et figurae juridicas in codice existentes; unde tendentia auctorum ad reducendam Actionem Catholicam adaequate ad unam ex tribus speciebus Associationum Fidelium in Codice descriptis, et ad accipendum « mandatum » aut in suo pleno sensu juridico, aut negandum ei totum contentum hujus sensus juridici. Sed promulgatio Codicis non limitavit Ecclesiae potestatem novas formas associationum condendi, uti constat ex creatione Institutorum Sacerdotalium. Mandatum ergo, de quo hic est sermo, accipendum videtur in sensu aliquo speciali et novo, quod non est sensus juridicus Codicis, neque est sensus mere litteralis.

Ex una parte, mandatum non importat communicationem potestatis hierarchicae, quia non requiritur a membris Actionis Catholicae exer-

¹²² *Loc. cit.*, pp. 455-456.

¹²³ *Derecho constitucional de la Acción Católica*, Barcelona 1950, pp. 47-48.

¹²⁴ *Institutiones Iuris Canonici*, t. I, Santander 1951, p. 554.

cere ullum actum apostolatus hierarchiae, sed solum actus proprios suos; ex altera, non mere subjicit laicos hierarchiae novo titulo mandati (sensu praecepti vel beneplaciti) sed dat illis etiam aliquam novam dignitatem et jus. Quid ergo est? Natura ejus sic potest explicari : *Ex parte Hierarchiae* : Hierarchia non solum approbat et vigilat sicut facit de aliis associationibus laicalibus, neque solum erigit et regit ut facit cum associationibus fidelium ab Ecclesia erectis, sed unit sibi hunc apostolatum laicorum assumendo co-responsabilitatem ejus et dando ei positivam directionem. *Ex parte laicorum* : ipsi suam activitatem apostolicam, quam possent exercere etiam sine positiva directione ab hierarchia, libere subjiciunt directioni hierarchiae, accommodantes eam ad complendum apostolatum hierachicum, et sic jus obtinentes agendi nomine Ecclesiae.

Analogiam habemus in professione religiosa. Vota remanent semper actio libera individui versus Deum; sed Ecclesia potest illam professionem sua auctoritate munire, reddendo eam publici juris et faciendo eam oblationem factam Deo non solum ab illo individuo sed a tota Ecclesia. Mandatum ergo non solum elevat Actionem Catholicam ad ordinem publicum in Ecclesia, quod facit erectio canonica cuiuslibet associationis, sed integrat eam cum hierarchia, propter liberam subjectiōnem ex una parte et directionem et assumptionem responsabilitatis ex altera, et convertit activitatem membrorum ejus, quandiu sub mandato agunt, in activitatem Ecclesiae. Aliis verbis, est elevatio apostolatus laicorum ad novum ordinem quin mutetur ejus essentialis natura : ex activitate membrorum Christi fit activitas totius Corporis. Communicatur non potestas ordinis vel jurisdictionis, sed aliqua dignitas et jus agendi in nomine Ecclesiae quod ex se pertinet ad Hierarchiam, quod strictis terminis juridicis adaequate definiri nequit. Congressus Cardinalium et Archiepiscoporum Galliae declaravit quod verbum « mandatum », a pluribus documentis S. Sedis et Episcopis Galliae usurpatum adhibetur ad convenienter definiendam relationem inter hierarchiam et laicatum organizatum; apostolatus laicorum non est ejusdem ordinis ac apostolatus cleri; membra Actionis Catholicae non sunt *vicarii laici*, ipsi habent suam propriam et maximi momenti missionem in Ecclesia; quin ullo modo deroget de dignitate missionis proprie laicorum vel modifiet ejus naturam, mandatum confert apostolatui organizato laicorum valorem officialem et characterem publicum in Ecclesia, relicto tamen eo plene intra limites apostolatus laicorum.¹²⁵

¹²⁵ Cf. *Documentation catholique*, 43 (1946), pp. 740, 743-744.

3. Pars Hierarchiae in Actione Catholica

Apostolatus laicorum dependentia ab hierarchia admittit gradus, ait Pius XII primum Congressum Internationalem Apostolatus Laicorum alloquens. Haec dependentia est arctissima pro Actione Catholica quae revera reprezentat apostolatum laicorum officiale. Cetera opera apostolatus laicalis, organizata vel non, possunt sibi relinqu cum tota sua libera initiativa et latitudine quam speciales fines eorum exigunt, dummodo intra limites orthodoxiae consistant et legitimis auctoritatis ecclesiasticae praescriptis pareant.¹²⁶

In hac gradatione dependentiae ultimum locum tenent associationes pure laicales, sc. a laicis fundatae et ab Ecclesia non erectae in personam moralem. Tales associationes subjiciuntur hierarchiae quantum ad vigilantiam, sicut quilibet fidelis in sua activitate privata apostolatus. Exemplum typicum habemus in Conferentiis S. Vincentii a Paulo. Episcopo Terrentiensi (in Rep. Argentina) quaerenti «an et quo ambitu praedicta societas S. Vincentii a Paulo Ordinarii loci potestati subsit», S. Congr. Concilii respondit: «Ordinarius loci in casu habet in praedictam societatem ius et officium vigilanciae et curandi ne in illa quid contra fidem et mores attentetur; et si abusus fuerint, eos corrigendi et reprimendi».¹²⁷

Associationes fidelium quae ecclesiasticae vocantur, i. e. erectae ab Ecclesia, plene subsunt auctoritati hierarchiae, et reguntur secundum statuta ab auctoritate ecclesiastica approbata, quin hierarchia activitatem earum speciali modo suam faciat.

Actio Catholica vero non solum erigitur ab Ecclesia, sed ei impertitur «mandatum» ut supra explicavimus, quo hierarchia sibi assumit immediatam directionem et responsabilitatem activitatis ejus, sed insuper apostolatum illum laicorum quodammodo suum facit. Unio ergo et dependentia est maxime intima in hoc casu.

Sed haec dependentia non tollit libertatem actionis laicorum membrorum Actionis Catholicae. Dicere quod Actio Catholica est velut instrumentum in manu hierarchiae nihil aliud sibi vult, aiebat Pius XII in praefata allocutione, quam quod hierarchia eam adhibet eo modo quo Deus suas creaturas rationales, scil. suaviter quin laedat earum libertatem.¹²⁸ Item Delegatis Actionis Catholicae Italiae verba faciens,

¹²⁶ AAS, 43 (1951), p. 789.

¹²⁷ Decretum 13 nov. 1920 (AAS, 13 [1921], p. 135).

¹²⁸ AAS, 43 (1951), p. 789.

idem Pontifex illustravit quomodo A. C. non tantum non excludit quin etiam promovet personalem initiativam membrorum : socii A. C. non debent se gerere tamquam rotae inertes alicujus magnae machinae, incapaces sese movendi donec vis centralis eas volvet; neque directores A. C. quasi moderatores fabricae electricae, attentos unice ad initiandam, interrumpendam vel moderandam vim currentem per vastum rete.¹²⁹

Ad hujusmodi autonomiae tuitionem Ecclesia ordinavit ut omnes directores et officiales A. C. sint laici. Hierarchia, intime quidem eidem connexa, manet tamen extra, approbans, dirigens et movens tantum quantum necesse est ad activitatem illam sub sua responsabilitate accipiendam. Aliquam analogiam possumus invenire in relatione inter gubernium civile et exercitum. Utrum, contra quem, quando et quandiu bellum gerendum sit ad gubernium civile pertinet determinare; sed strategema ipsius belli a capitibus exercitus dependet, est eorum ars propria. Unde Pius XII hortatur Superiores ecclesiasticos ut ipsi laicos apostolos animent, eis suggerant initiativam, quae ab eis proponuntur libenter audiant, et si opportunum fuerit generosa mente approbent : quia in certamine decisivo, felicissimae initiativae non raro ortum habent in ipsis primis lineis.¹³⁰

4. *Ambitus et limites Actionis Catholicae*

S. Pius X, qui fuit quasi auctor hujus termini «*actio catholica*», jam in Epistola enc. *Il fermo Proposito*, definierat ambitum activitatis Actionis Catholicae his verbis : «*Perlatus est actionis catholicae campus, quae ex sese nihil omnino excludit quod, quocumque modo, directe aut indirecte, ad divinam Ecclesiae missionem pertineat*». Verum, cum haec scriberet, Actionis Catholica in sua forma officiali nondum fuerat condita, proindeque verba eius possunt referri ad apostolatum laicorum in toto suo ambitu. Sed ipse Pius XI, fundator Actionis Catholicae in forma officiali, clare asseruit quod ubicumque est quaestio de gloria Dei, de salute animarum, de judicio faciendo inter bonum et malum, de lege Dei discernenda et applicanda, ibi est campus Actionis Catholicae. Quousque pervenit apostolatus hierarchiae, eousque etiam pervenire debet Actionis Catholica. Intra limites sui mandati, ipsa habet campum vere illimitatum, quamquam in isto campo suum habeat proprium modum

¹²⁹ *Loc. cit.*, p. 377.

¹³⁰ *Loc. cit.*, p. 789.

¹³¹ Cf. supra nota 110.

agendi.¹³² Etiam secundum Pium XII activitas Actionis Catholicae se extendit ad totum campum religiosum et socialem, eousque quo pervenit missio et actio Ecclesiae.¹³³ Ambitus igitur activitatis A. C. coincidit cum campo apostolatus hierarchiae, iis solum exceptis quae pertinent ad potestatem ordinis vel jurisdictionis : et hic campus, ut jam vidimus, est valde amplius complectens non solum ordinem spiritualem, sed etiam temporalem et materialem in quantum cum spiritualibus connexum.

Ex hoc ipso patent limites quoque Actionis Catholicae. Ait Pius XI : « Iamvero, haud aliter ac mandatum Ecclesiae divinitus commissum, ipsiusque hierarchicus apostolatus, Actio ejusmodi non externa prorsus sed spiritualis, non terrena sed coelestis, *non politica sed religiosa* dicenda est. Verumtamen eam ipsam jure meritoque « socialem » dixeris, cum id sibi propositum habeat, ut Christi Domini regnum proferat, quo quidem proferendo cum summum omnium bonum societati acquiratur, tum cetera quaeruntur bona quae ab illo proficiscuntur, ut sunt quae ad statum Civitatis pertinent et politica vocantur, scilicet bona non privata ac singulorum propria, sed civibus omnibus communia : id autem omne Actio Catholica ita potest ac debet assequi, si, Dei Ecclesiaeque legibus modeste parendo, a civium studiis partium sit prorsus aliena ».¹³⁴

Ergo Actio Catholica qua talis non attingit ordinem temporalem et materialem qua talem. Ratio est quod ordo temporalis *qua talis* jacet extra ambitum auctoritatis hierarchiae, proindeque hierarchia non potest integrare suo apostolatui activitatem fidelium in hoc ordine nec assumere responsabilitatem pro ea. Totus ergo apostolatus laicorum non est elevatus ad Actionem Catholicam, sed solum activitas eorum in ordine spirituali sensu comprehensivo superius explicato. Actio ergo *catholicon* latius patet quam Actio *Catholica* quoad objectum, sed in ordine spirituali Actio Catholica multo praestantior est altera propter ejus organicam unionem cum apostolatu hierarchiae et statum juridicum publicum in Ecclesia. Potest etiam dici quod objectum materiale utriusque

¹³² « Quale è il campo assegnato all'Azione Cattolica?... È agevole rispondere che essa deve arrivare dovunque ; è come dire che dappertutto è il suo campo, dovunque cioè si presenti la gloria di Dio, il bene delle anime, la ragione, il giudizio autorevole tra il bene e il male, la legge di Dio, l'applicazione della legge di Dio... Ove bisogna che arrivi l'Apostolato gerarchico, là deve pure arrivare, chiamata dall'Apostolato stesso in suo aiuto, l'Azione Cattolica... Questa, nei termini del suo mandato, ha un campo che non ha limiti ; sebbene, in questo campo, abbia un modo proprio di esplicarsi » (*Discorso ai dirigenti dell'Azione Cattolica di Roma*, 19 aprile 1931).

¹³³ « L'attività dell'Azione Cattolica si estende a tutto il campo religioso e sociale, fin dove, cioè, giunge la missione e l'opera della Chiesa » (*Allocutio ad Delegatos Actionis Catholicae Italiae*, 3'3'1951 ; in *AAS*, 43 [1951], p. 375).

¹³⁴ *AAS*, 20 (1928), p. 385.

est idem, cum nihil humanum potest omnino sejungi ab ordine spirituali et morali; in objecto vero formaliter adest haec differentia quod Actio Catholica totum mundum attingit unice sub aspectu finis supernaturalis, actio vero catholicorum sub utroque aspectu spirituali et temporali.

5. Actio Catholica non est exclusiva forma apostolatus laicorum

Ex eo quod Actio Catholica est universalis in suo apostolatu spirituali non sequitur quod in illo ambitu ipsa est unica organizatio. Instituendo A. C., Ecclesia non vult diminuere momentum aliarum associationum fidelium sive ab ipsa erectarum sive a privatis individuis. Imo apostolatus individuorum christifidelium retinet totam suam dignitatem et valorem et necessitatem pro Ecclesia. Hanc veritatem in clara luce posuerat Pius XII jam in allocutione ad Primum Congressum Apostolatus Laicorum, dicens quod extra acies Actionis Catholicae et aliarum associationum ab Ecclesia approbatarum existunt veri apostoli laici, viri et mulieres, qui fructuosum exercent apostolatum; revocavit in mentem tot illos optimos laicos, qui, in regionibus in quibus Ecclesia est nunc persequuta ut in primis saeculis christianitatis, supplendo quantum possunt, etiam cum periculo propriae vitae, clerum incarceratum, docent suos confideles doctrinam christianam, formant in eis vitam religiosam et mentem catholicam, inducunt eos ad frequentationem sacramentorum et praxes devotionales, praesertim devotionem erga SS. Eucharistiam. Videte aiebat illos laicos in operibus eorum; non quaerite ad quam organizationem pertineant; potius admiramini et generoso animo agnoscite bonum quod faciunt; gaudete quando videtis, extra vestras acies, alios ab eodem Spiritu ductos Christo lucrifacere fratres suos.¹³⁵

Omnis fideles quidem tenentur ad apostolatum exercendum; sed non omnes vocantur ad apostolatum organizatum stricte dictum. Sic arguit Papa in eadem allocutione: potestne affirmari quod omnes sunt vocati ad apostolatum eodem sensu termini? Deus non dedit omnibus eamdem possibilitatem nec easdem aptitudines. Haud potest exigi ab uxore vel matrefamilias quae debet christiane educare suos filios et insuper labore domi ad adjuvandum maritum in victu procurando, ut se applicet operibus supradicti generis apostolatus. Vocatio ergo ad apostolatum organizatum non est omnium.¹³⁶

¹³⁵ AAS, 43 (1951), pp. 787-788.

¹³⁶ Loc. cit., p. 787.

*6. Modifications in conceptu Actionis Catholicae
a Summo Pontifice nuper propositae*

Allocutio Pii XII diei 5 oct. 1957, ad Secundum Congresum Internationalem Apostolatus Laicorum, novas orientationes attulit, non quidem impositas, sed sollicite propositas ad studium ejusdem Congressus.¹³⁷ Ratio hujus innovationis haec est: exclusivus usus nominis Actionis Catholicae ad unam determinatam formam apostolatus laicorum designandam tendit generare in mente populi quoddam praejudicium contra ceteras formas organizatas apostolatus quasi non sint vere et genuine apostolatus. Est quidem per errorem quod Actio Catholica identificari contigit in mente multorum cum apostolatu laicorum organizato, sed talis mentalitas est revera late diffusa, quod non modico damno est aliis associationibus apostolatus laicorum quae, optimae meritae in se, plerumque tamen censemur secundariae et minoris momenti. Imo, eo usque pervenire potest hoc praejudicium quoad impediatur omnis acti-
vitas fructuosa earum in dioecesibus.

¹³⁷ « Pour résoudre cette difficulté, on envisage deux réformes pratiques : une de terminologie, et comme corollaire, une autre de structure. D'abord il faudrait restituer au terme d'« Action Catholique » son sens général et l'appliquer uniquement à l'ensemble des mouvements apostoliques laïcs organisés et reconnus comme tels, nationalement ou internationalement, soit par les Evêques sur le plan national, soit par le Saint-Siège pour les mouvements qui visent à être internationaux. Il suffirait donc que chaque mouvement particulier soit désigné par son nom et caractérisé dans sa forme spécifique, et non selon le genre commun. La réforme de structure suivrait celle de la fixation du sens des termes. Tous les groupes appartiendraient à l'Action catholique et conserveraient leur nom propre et leur autonomie, mais ils formeraient tous ensemble, comme Action Catholique, une unité fédérative. Chaque évêque resterait libre d'admettre ou de refuser tel mouvement, de le mandater ou non, mais il ne lui appartiendrait pas de le refuser comme n'étant pas d'Action catholique par sa nature même. La réalisation éventuelle d'un tel projet requiert naturellement une réflexion attentive et prolongée. Votre Congrès peut offrir une occasion favorable de discuter et d'examiner ce problème, en même temps que d'autres questions similaires.

Il semble nécessaire ici de faire connaître, au moins dans ses grandes lignes, une suggestion qui Nous a été communiquée tout récemment. On signale qu'il règne actuellement un malaise regrettable, assez largement répandu, qui trouverait son origine surtout dans l'usage du vocable d'« Action Catholique ». Ce terme en effet serait réservé à certains types déterminés d'apostolat laïc organisé, pour lesquels il crée, devant l'opinion, une sorte de monopole : toutes les organisations, qui n'entrent pas dans le cadre de l'Action catholique ainsi concue — affirme-t-on —, apparaissent de moindre authenticité, d'importance secondaire, semblent moins appuyées par la Hiérarchie et restent comme en marge de l'effort apostolique essentiel du laïcat. Il en résulterait qu'une forme particulière d'apostolat laïc, c'est-à-dire l'Action catholique, triomphé au détriment des autres et que l'on assiste à la main-mise de l'espèce sur le genre. Bien plus, on en viendrait en pratique à jeter l'exclusive et à fermer le diocèse aux mouvements apostoliques, qui ne portent pas l'étiquette de l'Action Catholique (*AAS*, 49 [1957], p. 929).

Ad hujusmodi malum praecavendum, duas modificationes proponit Summus Pontifex respectu terminologiae et organizationis. Ad terminologiam quod attinet, nomen 'Actio Catholica' quae hucusque designabat unam particularem speciem apostolatus organizati, in posterum potius adhibendum est ad designandas omnes simul associationes apostolatus organizati laicorum : i. e. nomen speciei fit nomen generis. Eo ipso organizatio Actionis Catholicae mutat naturam : ex organizatione homogenea fit foederatio heterogena; omnes simul associationes habebunt naturam genericam «actionis catholicae» sed singulae earum suum proprium retinebunt momen quo designetur specifica ejus natura. Alia innovatio respicit «mandatum». Actio Catholica sic concepta in sua totalitate non eo ipso ditabitur «mandato» : liberum erit Hierarchiae impetrare mandatum cuilibet particulari associationi Actionis Catholicae, vel negare alicui; sed non erit liberum Episcopis excludere aliquam organizationem apostolatus laicorum a genere Actionis Catholicae.

Haec reformatio afficit diversis modis duas notas essentiales Actionis Catholicae quae sunt :

1) *Universalitas finis.* In hoc principaliter differt A. C. a ceteris associationibus, quod habet scopum universalem, omne genus apostolatus complectentem. S. Pius X jam in Epistola enc. *Il fermo Proposito* hoc innuerat;¹³⁸ et Pius XII alloquens delegatos Actionis Catholicae Italiae die 3 apr. 1951, eamdem ideam elaboravit dicens quod dum ceterae associationes habent activitates particulares unde nomen accipiunt, haec organizatio nominatur simpliciter «actio catholica» quia habet finem generalem, non particularizatum.¹³⁹ Nunc vero per hanc modificationem propositam, finis hic universalis proponitur complexui variarum associationum foederatarum, qui complexus venit nomine Actionis Catholicae. Ad Actionem Catholicam constituendam non est necesse ut quaelibet associatio habeat finem universalem, sed ut omnes simul habeant illum. Haec idea non est aliena a traditionali conceptu Actionis Catholicae : jam in quibusdam regionibus ubi A. C. in sua forma unitaria non existebat, ceterae associationes fidelium diversorum finium inter se coordinabantur ad simul constituendum quamdam formam foederativam Actionis Catholicae. Est haec forma exceptionalis quae ut norma nunc proponitur.

¹³⁸ *Acta Sanctae Sedis*, 37 (1904/5), p. 755 ; cf. supra nota 110.

¹³⁹ «Voi invece vi chiamate semplicemente 'Azione Cattolica', perchè, avendo un fine generale, e non particolare o specifico, non siete un assefisso, intorno al quale graviti il meccanismo di una organizzazione qualsiasi, ma piuttosto come un luogo d'accoglia, ove convergono e si organizzano i cattolici di azione» (*AAS*, 43 [1951], p. 375).

2) *Mandatum* est alia nota hucusque necessaria habita ad conceptum A. C., ita ut Actionem Catholicam eo ipso mandatum habere generaliter assuebatur. Nunc vero, dum finis universalis a specie ad genus transfertur, ita ut non singulae associationes sed omnes simul in complexu habeant finem universalem; mandatum a genere Actionis Catholicae ad individuas associationes transfertur, ita ut omnes in complexu non habeant mandatum sed quaelibet possit habere. Insuper mandatum non est amplius elementum necessarium ad constituendam Actionem Catholicam.

Quid ergo significat «*Actio Catholicica*» in hoc sensu modificato? Ut nobis videtur, hic terminus, juxta propositum Summi Pontificis, stat pro universitate associationum apostolatus laicorum: non pro apostolatu laicorum simpliciter, quia apostolatus individualis non venit sub hoc nomine sed solum apostolatus organizatus: necque pro singulis associationibus separatim, sed pro earum complexu. Qualis debeat esse natura hujus foederationis vel quales relationes associationum inter se, non definivit Summus Pontifex sed reliquit studio peritorum.

C. *Actio Catholicorum*

Ad clarificandum conspectum hujus articuli sequentia praenotamus:

1) Hoc termino *actionis catholicorum* significamus omnem activitatem apostolicam quam laici exercent privata initiativa, sive individualiter agant, sive collective.¹⁴⁰ Organizationes enim quas laici ex conventione sua faciunt non acquirunt personalitatem moralem in Ecclesia, proindeque actiones earum remanent in ordine juris privati sicut et individuorum. Hujusmodi associationes, quamquam privatae, possunt ab Ecclesia commendari, uti revera facit in pluribus casibus; unde can. 684 dicit: «*Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis*». Hic apparet divisio piarum associationum in *ecclesiasticas* (ab Ecclesia erectas) et *laicales* (a laicis conditas et ab Ecclesia commendatas) ad quam secundam categoriam pertinet.

¹⁴⁰ Ut patet, hic adhibemus terminologiam hucusque solitam, cum nova illa a Summo Pontifice proposita nondum sit in usu; quando haec divulgabitur, omnis apostolatus organizatus laicorum in ordine spirituali sub *Actione Catholicica* adnumerandus erit, et terminus «*actio catholicorum*» significabit individualē apostolatum laicorum in ordine spirituali et omnem activitatem in ordine temporali finem secundarium Incarnationis spectantem. Ceterum tractatus retinebit suum valorem.

uent Conferentiae S. Vicentii a Paulo, Legio Mariae etc. Haec possunt gaudere, et aliquando gaudent, personalitate juridica apud statum civilem.

2) Hic agimus non solum de apostolatu in sensu stricto sed etiam in sensu lato. Non est facile, ut ait Pius XII, exacte determinare lineam divisionis ubi incipit apostolatus laicorum proprie dictus : e. g. educatio puerorum a piis parentibus aut magistris fervidae vitae christiana; vel modus agendi boni medici catholici cuius conscientia non cedit ubi lex naturalis vel divina est in discriminis, et qui militat tota sua vi ad tuendum dignitatem christianam conjugum et sacra jura proles; vel actio alicujus hominis politici qui adlaborat ad obtinendum generosius programma domorum aedificandarum pro minus fortunatis, suntne apostolatus? Multis negantibus, quia vident in illis nihil nisi adimpletionem sui officii, Summus Pontifex insubstituibilis valoris et ad salutem animarum potentissimam censem hanc simplicem adimpletionem officii sui status a millies millibus fidelibus conscientiosis et exemplaribus.¹⁴¹

3) *Sub actione catholicorum* veniunt non solum activitates apostolicae in ordine spirituali, sed etiam activitas christiana in ordine temporali ad objectum secundarium Incarnationis spectans.

1. *Actione catholicorum in ordine spirituali*

Haec quaestio non indiget multa explicatione. In ordine spirituali, actione catholicorum coincidit cum Actione Catholica quoad objectum et ambitum activitatis. Hic apostolatus potest esse *directus* vel *indirectus* secundum quod media spiritualia vel temporalia adhibentur ad finem spiritualem. Ut jam explicatum est, in primo finis operis et finis operantis coincidunt; in altero finis operis manet temporalis, sed finis operantis convertit activitatem in spiritualem. Inter associationes fidelium, de quibus in Codice fit sermo, Confraternitates apostolatum directum et Piae Uniones apostolatum indirectum respicere dici possunt.

Omnia opera quae fideles faciunt, sive individualiter sive collective, ad promovendum cultum divinum, frequentationem sacramentorum, devotiones christianas etc. sunt apostolatus directus. Una ex principalioribus formis apostolatus directi est instructio religiosa. Hic non est quaestio de publica et officiali doctrinae traditione quam ex delegatione hierarchiae faciunt aliqui laici, uti catechistae, sed de instructione pri-

¹⁴¹ *AAS*, 43 (1951), p. 787.

vata quam omnes fideles possunt, et aliquando debent facere ad salutem proximorum procurandam. Jus et officium quod parentibus incumbit suos infantes instruendi in religione non quidem derivatur ex delegatione ab hierarchia, sed ex ipsa institutione divina, et est maximi momenti et gravissimae obligationis. Ex caritate omnes tenentur, magis vel minus secundum cujusque possibilitatem, proximos ignaros in veritate fidei instruere, si non verbis saltem exemplis.

Sed praeter hanc formam magisterii omnino privatam, est et alia, non quidem publica sensu proprio juridico, sed publica sensu vulgari, i. e. coram mundo facta : est magisterium doctorum hominum laicorum qui dictis vel scriptis defendunt et propagant fidem catholicam. Magisterium eorum non est auctorativum et caret valore dogmatico et pastorali in Ecclesia, gaudet tamen valore doctorali coram mundo. Unde eorum maxima utilitas ad apostolatum Ecclesiae. Hujusmodi doctores et apologistae laici semper fuerunt in Ecclesia et adhuc sunt, quorum apostolatus quantum proposit Ecclesiae ex his verbis Leonis XIII patet : « At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam altis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem.*¹⁴² [...] Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus jure divino penes magistros est, quos Sp. Sanctus posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei, maximeque penes Pontificem Romanum [...] Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit : qui quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago. Quin imo privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna et frugifera, ut prorsus deponscendam judicaverint. *Omnis christifideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, necnon ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.*¹⁴³ [...] In officiis igitur quae nos jungunt Deo atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandisque erroribus elaboret singulorum, quoad potest, industria ».¹⁴⁴

¹⁴² II-II, q. 3, a. 2, ad 2.

¹⁴³ Const. « Dei Filius », sub finem.

¹⁴⁴ Litt. enc. « Sapientiae christianaæ », 10/1/1890 (*Leonis XIII P. M. acta*, t. 10, Romae 1891, pp. 19, 21-22).

Apostolatus indirectus in ordine spirituali consistit, ut jam indicavimus, in adhibendo media temporalia ad conversionem vel aedificationem animarum. Sed non omnis activitas temporalis est facile convertibilis in apostolatum spiritualem: requiritur in ipsa quaedam qualitas naturalis ad animas allicendas. Talia sunt praecipue opera caritatis ut cura infirmorum et orphanorum, educatio puerorum, sublevatio pauperum etc. Aetate moderna, omnis conatus ad meliorem reddendam conditionem operariorum vel ad diminuendam tensionem inter diversa elementa societatis, optimum medium apostolatus indirecti est, cum animos hominum facilius vincat et praeparet ad veritatis acceptationem. Aliae media modernae sunt typographia, cinematographia, ars radiophonica, ars televisiva etc. Sunt etiam « motus » quidam, uti « scout », et aliae activitates sociales, uti « club », quae omnia possunt adhiberi tamquam media apostolatus indirecti. In allocutione diei 5 oct. 1950, Summus Pontifex clare illustravit quam vastus sit campus hujusmodi apostolatus, asserens non solum magistros et magistras sed cuiuslibet professionis viros ac mulieres optimum posse apostolatum exercere mediante sua professione; praesertim vero hodie medicos et machinatores ceterosque specialistas qui, adhaerentes organizationi internationali vulgo dictae UNESCO aliisve huic similibus, ad nationes minus evolutas adjuvandas accedunt.¹⁴⁵

His breviter dictis de apostolatu laicorum in ordine spirituali, transimus ad explicandum apostolatum laicorum in ordine temporali, ubi illi soli sunt plene competentes.

2. Apostolatus laicorum in ordine temporali

Haec est quaestio maximi momenti dum agitur de apostolatu laicorum, quia est species apostolatus quam ipsi solum possunt adaequate

¹⁴⁵ « A cet égard, Nous ne pouvons que confirmer les remarques que Nous faisions dans Notre lettre au III^e Congrès Mondial de l'Union mondiale des enseignants chrétiens à Vienne : « Que l'activité professionnelle des maîtres et maîtresses catholiques appartienne ou non à l'apostolat des laïcs au sens propre, soyez persuadés, chers fils et filles, que le maître chrétien, qui par sa formation et son dévouement est à la hauteur de sa tâche, et, profondément convaincu de sa foi catholique, en donne l'exemple à la jeunesse qui lui est confiée, comme une chose allant de soit et devenue en lui une seconde nature, exerce au service du Christ et de son Eglise une activité semblable au meilleur apostolat des laïcs » (5 août 1957). On peut répéter cette affirmation de toutes les professions, et notamment de celles des médecins ou ingénieurs catholiques, surtout à l'heure actuelle, où ils sont appelés dans les pays sous-développés et dans les territoires de mission, au service des gouvernements locaux ou de

exercere. Hic apostolatus correspondet secundario fini Incarnationis, qui est redemptio vel restauratio in Christo totius ordinis temporalis vel materialis, ut jam superius explicatum est. Et cum Christus non voluerit exercere suum in mundum dominium nec per se dum hic vivet, nec per suam Ecclesiam nunc, haec restauratio vel iterata ordinatio mundi ad Deum debet procurari non auctoritative per hierarchiam Ecclesiae, sed privatim per membra ejus, via pacifica penetrationis. Ut jam dictum est, hierarchia debet formare christianos et christiani debent reformare mundum. Cum facile possint inter se confundi apostolatus spiritualis indirectus, de quo supra, et apostolatus laicorum in ordine temporali, quia in multis conveniunt externe et materialiter, ad hujusmodi confusiones praecavendas sequentia notamus :

1) Hic non est quaestio de fine ultimo agentis, quia omnis actus christiani hominis, vel cuiuslibet hominis, debet dirigi ultimo in Deum. Finis ultimus omnis actus humani debet esse gloria Dei et salus aeterna, sua primum, dein aliorum quantum ex se est. In hoc convenient uterque apostolatus, ordinis spiritualis et ordinis temporalis.

2) Distinctio fundamentalis inter apostolatum indirectum spiritualem et apostolatum in ordine temporali versatur circa finem proximum actionis : utrum scilicet finis operantis coincidat cum fine operis necne. In apostolatu in ordine temporali, finis operantis idem est ac finis operis (supposito quod opus est naturaliter bonum); in apostolatu indirecto spirituali, vero, finis operis admittitur *ut medium* ad alium finem spiritualem operantis. In primo, finis operis intenditur *per se*, in altero solum *per accidens*. Sic, e. g., medicus missionarius qui laborat ad restituendam sanitatem corporis infirmi ad hoc ut sic disponatur anima ejus ad gratiam conversionis, exercet apostolatum spiritualem indirectum. Ipse certe quaerit sanitatem, sed non ut finem proximum sed ut medium ad illum. Alius medicus catholicus, plenus caritate christiana, adlaborat ad curam infirmi, quin aliud intendat ut finem proximum sui actus quam sanitatem infirmi : pro illo finis operis et finis operantis coincidunt. Quaestio nostra haec est : estne actus hujus secundi medici laudandus, meritorius? potestne converti in apostolatum?

3) Sed notandum quod in nostro supposito actus illius secundi medici non dissociatur a fine ultimo supernaturali, sed solum a fine proximo spirituali. In relatione ad finem ultimum omnis finis proximus,

l'UNESCO et des autres Organisations internationales, et donnent par leur vie et l'exercice de leur profession l'exemple d'une vie chrétienne pleinement épanouie» (*AAS*, 49 [1957], pp. 928-929).

sive spiritualis sive temporalis, est solum medium. Sed descendendo ad gradum finis proximi, quaestio nostra est utrum ordo temporalis habeat aliquem valorem in se ita ut adhibeatur ut finis proximus *per se*, non mere ut medium ad alium finem spiritualem. Aggredimur hanc quaestionem nodosam.

Existuntne valores naturales?

Hanc quaestionem sic proponit Mgr. Gerardus Philips : « Quaestio fortasse est praepostera, sed frequenter ponitur. Oportet tractare eam cum plena sinceritate. Frequentissime laici credunt se a clero reputatos inferioris gradus christianos, quibus concessum est — quia inevitabile! — de hoc mundo transitorio occupatos esse. In oculis sacerdotum nihil habet valorem nisi Regnum Dei, et « valores » temporales sunt quasi non essent. Ipsi mundus totus est merum medium ad « aliquid aliud ». Progressus mundi eorum non interest. Eorum opera pia et instituta caritatis non sunt nisi astuti praetextus ad animas alliciendas. Laici vero res magis serio accipiunt, et constrictos se credunt ad strenue defendenda bona humana contra multiplicem incursum clericalismi; unde conflictus frequentes.

» Problema jam satis spinosum adhuc pejus redditur violentis controversiis inter *naturalistas* et *supernaturalistas*. Illi exaltant realitatem bonorum naturalium quae Deus creavit et commisit homini; et praemonitos nos volunt de subdolo quodam manichaeismo qui mundum damnare vult ut productum a Spiritu maligno. Hi e contra timent ne attribuamus naturae quamdam justitiam innatam et autonomiam totalem, et sic obscureremus nostrum versus coelum perspectum. Primi acriter criticant mysticos qui omnia spernunt propter suas sic dictas aspirationes spirituales. Alteri damnant naturam seductivam commoditatum terrenarum et periculum implicationis earum; tono prophetico isti nos admonent quod species hujus mundi traseunt : quid prodest nobis nostros impendere labores in hoc aedificium corruens?

» Hic, ergo, est totum problema humanismi christiani. Nec Catholici, nec Protestantes nec Orthodoxi potuerunt hanc quaestionem evadere. Quaestio haec, paucis syllogismis non solvenda, pertingit usque ad ipsum cor Evangelii et implicat ipsam existentiam christiani laici ut laici ».¹⁴⁶

¹⁴⁶ *Le rôle du laïcat dans l'Eglise*, Paris 1954, p. 64 ; cf. R. SPIAZZI, *La missione dei laici*, Roma 1952, pp. 297-298.

Ut nobis videtur, tota haec scandalosa controversia ortum habet ex eo quod tum *naturalistae* qui vident in mundo materiali bonum autonomum, tum *pseudo-supernaturalistae* qui in eo nihil vident nisi malum necessarium, mundum contemplantur extra ejus necessarium contextum, scilicet relationem ad Deum. Et quando creatura aliqua consideratur extra ejus relationem ad Deum, una ex his duabus reactionibus sequatur necesse est : aut *idololatria* aut *iconoclasmus*. Sed christianus debet contemplari mundum unice in relatione ad Deum, ut rem essentialiter bonam, ad gloriam Dei et salutem animarum ordinatam. Aspectus ergo integralis christianus mundi hanc duplicem ejus destinationem comprehendit, id est, esse ad gloriam Dei et ad salutem animarum. Verum, hi duo fines sunt aliquo sensu mutuo convertibiles : possumus uti mundo ad gloriam Dei et sic proficere animae nostrae, vel, e converso, uti eo pro nostro profectu spirituali et sic glorificare Deum. Sed si profundius investigetur, videbitur quomodo hi duo aspectus non sunt mere duo modi exprimendi eamdem prorsus ideam, sed repraesentant duos conceptus distinctos. Si mundus esset unice propter utilitatem spiritualem hominis, certe nobis sufficeret minor scientia trigonometriae et astrophysicae; sed si mundus est principaliter propter gloriam Dei, homo debet illum perficere ut ipse solus potest facere. Et ideo, « tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradyso voluptatis, *ut operaretur et custodiret illum* ».¹⁴⁷

Habitudo mentis christiana erga mundum

Supradicta duplex destinatio mundi duplarem pariter inducit habitudinem versus eum in mente christiana : *abnegationem asceticam* in plano subjectivo et personali, *applicationem generosam* in plano objectivo et sociali. Prima respicit *fruitionem* rerum temporalium, altera *fructificationem* earum.

S. Paulus sat clare indicavit qualis debeat esse habitudo personalis erga mundum his verbis : « Hoc itaque dico, fratres; Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint; et qui flent tamquam non flentes; et qui gaudent tamquam non gaudentes; et qui emunt tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur : praeterit enim figura hujus mundi ».¹⁴⁸ Omnia bona temporalia sunt propter utilitatem hominum, sed non omnia

¹⁴⁷ Gen 2, 15.

¹⁴⁸ I Cor 7, 29-31.

singulis prosunt : est tam necesse renunciare superfluis quam possidere necessaria; quin imo, considerata natura corrupta hominis, majus est periculum in excessu rerum temporalium quam in defectu earum. Ipsa necessaria possidenda sunt in spiritu renunciationis : gradus scalae nobis prosunt si eos calcando praeterimus, non si eos amplectendo consistimus. Est ad hanc veritatem concrete exemplificandam quod aliquae animae vocantur ad vitam totalis renunciationis earum etiam rerum quae necessariae communiter habentur. Ipsi exercent non solum spiritum renunciationis, quod omnes fideles tenentur facere, sed etiam actualem renunciationem omnium rerum quantum haec vita mortalis sinit. Vita eorum est exemplum concretum praevalentiae spiritus super materiam.

Sed haec totalis renunciatio non est negatio « valorum » temporalium : adest essentialis differentia inter habitudinem marxistae et habitudinem monachi circa bona temporalia. Marxista damnat proprietatem privatam (quam tamen ipse plerumque sibi retinet) quia credit eam esse rem malam, saltem pro aliis. Monachus renunciat proprietati (quam nunquam damnat) quia credit eam esse rem bonam — tam bonam ut digne possit offerri Deo. Unde paradoxon illud, quod ii qui renunciant proprietati, familiae et libertati sunt revera maximi defensores trium harum.

Habitudo integralis christiani hominis erga mundum, ergo, consistit in quodam aequilibrio inter abnegationem et applicationem : quantum ad fruitionem ejus, parcus esse; quantum ad fructificationem et perfectionem ejus, generosus. Asceta Assisiensis cum renunciasset toti mundo non illico factus est inconoclasta bellum indicens mundo, sed amator ejus cantica componens in laudem naturae. Idem fecerunt tres Pueri in camino ignis, quorum laudem Ecclesia mutuatur in omni occasione festiva : « Benedicte omnia opera Domini Domino; laudate et superexalte eum in saecula ».¹⁴⁹ Quod certe non est bellicum canere !

Fuerunt quidem tempora in historia Ecclesiae quando haec christiana renunciatio mundi fuit ab aliquibus confusa cum neglectu et despectu « valorum » temporalium. Hoc accidit, e. g., tempore Apostolorum quando plurimi credebant finem mundi proximum esse; ita ut S. Paulus fortiter damnet stultitiam hujus opinionis, et pigritiam eorum qui labore mundi negligebant propter hanc falsam opinionem.¹⁵⁰ Item in saeculis sequentibus, quando totus mundus persequebatur Ecclesiam, naturale fuit quod multi a mundo alienatos se senserint et profectus mundi eorum non

¹⁴⁹ *Dan* 3, 57.

¹⁵⁰ Cf. *I Thes* 2, 3.

· interfuerit. Alia causa hujus confusionis idearum fuit falsa assumptio perfectionis monasticae, non solum in spiritu sed etiam in actu, ut norma vitae christiana. Neoplatonismus multum favit huic despectui « valorum » temporalium. Plures Patres habent Statum civilem ut aliquod malum necessarium, lapsu hominis inductum.

Sed haec sensa transitoria non potuerunt profundiores instinctus Ecclesiae suffocare. Ait Pius XII : « Iam inde a primis saeculis et aetate patristica, praesertim vero occasione conflictus spiritualis cum Protestantismo et Jansenismo, Ecclesia assumpsit positionem decisam in favorem naturae... Ipsa libere agnoscit magna et vera bona etiam quando ea antecedunt eam tempore, vel reperiuntur extra ambitum ejus ».¹⁵¹

Hic ergo est campus immensus apostolatus ubi soli laici possunt libere et cum pleno fructu laborare. Ut jam indicavimus, Hierarchiae est formare christianos, et christianorum est reformare mundum in suo valore naturali vitam christianam ei infundendo. « Quod requiritur a christiano non est mundum destruere vel desplicere », scribebat Card. Suhard, « sed assumere, et sanctificare eum ut possit offerri Deo in obsequium. Sic verificatur quaedam vera incarnation : virtus Dei se infundit in humilitatem ad eam sublevandam et introducendam in vitam divinam... Recollectum esse in Deo in medio occupationum non exigit plus laboris. Hoc supponit solummodo — at hoc est labor totius vitae — quod christianus mittat in centro activitatum suarum fervidam fidem in transcendencia Dei et convictionem quod haec fides omnia recte adaptabit. Apostolatus, uti a Christo institutus, importat tam vivam fidem quam technicam, tam orationem quam sagacitatem, vel potius, est ab una quod altera dependet. Per Deum iter fit ad homines. Est hoc sensu quod dici potest quod apostolatus sequitur contemplationem ».¹⁵² Hoc modo

¹⁵¹ « Depuis l'antiquité chrétienne, depuis l'époque patristique, mais tout particulièrement lors du conflit spirituel avec le protestantisme et le jansénisme, elle a pris nettement position pour la nature [...] L'Eglise reconnaît volontiers les réalités bonnes et grandes, même si elles existaient avant elle, même hors de son domaine ». (*Allocutio conventui X Internationali de Scientiis Historicis*, in *AAS*, 47 [1955], p. 674).

¹⁵² « Ce qui est demandé au chrétien, ce n'est pas de détruire ou de dénigrer le monde. C'est de l'assumer, de le sanctifier, pour l'offrir en hommage à Dieu. C'est en cela que réside la véritable incarnation ; c'est la force de Dieu qui envahit l'humanité pour la soulever et l'introduire dans la sphère divine ». « Le retour à Dieu dans l'action n'exige pas une somme plus grande d'activité. Il suppose simplement — mais c'est l'œuvre de toute une vie — que le chrétien mette au cœur de son engagement, une foi passionnée en la transcendance de Dieu, et la conviction qu'elle engendra les adaptations nécessaires. L'apostolat, tel que le Christ l'a institué, comporte donc autant de foi vivante que de technique, autant de prière que de savoir-faire, ou plutôt c'est de l'un que

solum, i. e. per laicos apostolos, potest Ecclesia fieri effective principium vitale societatis, et elevare totum ordinem temporalem ad Deum. Coetus Cardinalium et Archiepiscoporum Galliae, in declaratione martii 1946, de hoc apostolatu laicorum dixit : « Vita profana est campus laicorum. Missio eorum est, faciendo vitam gratiae et caritatis sentiri in omnibus suis relationibus socialibus, convertere mundum saecularem in christianum. Si ipsi hoc non faciunt, non est alius qui faciat ».¹⁵³

FR. CYRYLLUS BERNARDUS A MATRE DEI (PAPALI) O.C.D.

dépendra l'autre. On va aux hommes par Dieu. C'est en ce sens qu'on a pu dire que l'apostolat est au-delà de la contemplation » (*Le sens de Dieu*, Paris 1948, pp. 45 et 49-50).

¹⁵³ « La vie profane est le domaine propre des laïques. Ils ont la mission de la rendre chrétienne, en faisant pénétrer, dans toutes leurs relations sociales, leur vie de grâce et de charité. S'ils ne jouent pas ce rôle, personne ne tiendra à leur place » (*Documentation Catholique*, 43 [1946] 742).